BIB. DOM.
ANDEGAV.
S. J.

40-Fit

MONITA
ET
EXEMPLA
GUBERNANDI

A CHRISTO
EIUSQUE IMITATORE
S. IGNATIO
SOCIETATIS IESU
FUNDATORE
& alijs Viris Sanctis, & Sapientibus relicta,

ET

A R. P. HUBERTO WILTHEMIO
eiuſdem Societatis collecta.

INSULIS,
Ex Officinâ Ignatii & Nicolai de Rache, ſub Biblijs aureis, 1658.

D 95

IESV CHRISTO
OPTIMO MAXIMO
REGVM REGI[a]
PASTORVM PRINCIPI.[b]

TVA DE TVIS TIBI OFFERO[c] Sapientia ęterna. Per te Reges à mundi exordio regnârunt, rationem quoque, & Ar-

a *Apoc. c.17. v.14.* b *1.Pet.c.1.v.4.* c *Iuſtinianus & Theodora. Apud Baronium ex Cedreno A. 557.*

tem gubernandi à Sapientibus, & Prophetis tuis, multifariam multiſque modis loquentibus, didicerunt. Verùm poſtquam in terris viſus, & cum hominibus conuerſatus es, non auribus ſolum cognoſcendam, ſed oculis quoque diuinam gubernandi Artem, miniſtris tuis præbuiſti ſpectandam; quando nimirum Diſcipulorum gregem PASTOR ÆTERNE, & electum Apoſtolorum Collegium, Sapientiâ, Charitate, & Manſuetu-

ſuetudine tuâ admirabili, RECTOR SVPREME, gubernâſti. Hanc Theandricam Gubernationis tuæ cæleſtis formam ſpectârunt, & ſcriptis factiſque expreſſerunt Apoſtoli; tradiderunt quoque Viri Sancti; Gregorij, Bernardus, Thomas, Bonauentura, & nouiſſimè Ignatius, cuius manu ad Societatis tuæ Inſtitutum & Ordinem condendum, vti es dignatus. Hic diuinam tuam gubernandi artem contemplatus, illam verbis ſcriptiſque feli-

liciter expreſſit, & per ſedecim quibus Societatem tuam vniuerſam gubernauit annos, dicta factis adæquauit. Tibi ô Sapientia æterna tanquam fonti, & primæ ſcaturigini, ſcientiam, & artem gubernandi, Apoſtoli Virique Sancti ſerui tui, omnem ſe debere olim in terris agnouerunt; quin immo, & nunc in gloriâ cœleſti, & in conſpectu tuo conſtituti, inenarrabili cum lætitiâ profitentur. Quæ igitur à te, & à magnis illis mini-

miniſtris tuis Monita & Exempla gubernandi decerpſi, ea ante Numinis tui & Clementiæ thronum depono: tum quia tibi debentur; tum quia ſine tuo auxilio, & adſpiratione inualida illa, & ſine fructu ſentio futura; tum denique, quia in his ſcribendis non aliud quæſiui niſi Te, & quia ſuper omnia amo Te,

INDIGNISSIMVS SERVVS TVVS

Hubertus Wilthemius.

APPROBATIO
Reuerendiſſimi Patris Prępoſiti Generalis Societatis IESV.

Goſvvinvs Nickel Societatis IESV. Præpoſitus Generalis.

C*Vm opus quod inſcribitur* Monita & Exempla gubernandi à Chriſto Sanctiſque relicta, *Patris* Hvberti Wilthemii *noſtræ Societatis Sacerdotis, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus; vt typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet, videbitur. Cuius rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas damus, Romæ* 9. *Iunij* 1658.

GOSWINVS NICKEL.

Locus ✠ ſigilli.

Licentia Cenſoris.

O*Pus hoc à Reuerendiſſimo Patre Generali ſuprà approbatum & permiſſum, tam vtiliter quam oportunè in lucem dabitur.*

Matthaevs Navevs S. Theol. Doctor. Canonicus Tornacenſis, & librorum Cenſor. 7. Septemb. 1658.

PRÆFATIO

IN QVA PROFERTVR RATIO HVIVS SCRIPTIONIS.

FACVLTATEM homines regendi, Artem potius dicendam arbitror, quàm Scientiam; quia in actionibus ſingularibus verſatur, & experientiâ magis quam contemplatione acquiritur. Artem porro æque ac Virtutem, difficilibus meritò Philóſophus annumerat. Quod cùm de omnibus dici poſſit artibus, tum potiſſimum de ea, quâ homines reguntur: *cum difficile ſit, parêre,* [a] inquit Nazianzenus, *mul-*

a *Orat.* I. *Apologeticâ.*

to difficilius eſt hominibus imperare. Cuius ſententiæ, multæ eæque graues ab eo rationes adferuntur. [b] Quia homo omnium animantium vaferrimus eſt, & maximè variùs: imaginatione inſtabilis, appetitu immoderatus, voluntate liber, intellectu iudicioque penitus ſuus. Quia regimen Chriſtianum, & prȩſertim Religioſum, finem ſpectat ſublimem, nempe perfectionem atque ſanctitatem, quâ mentes ſubditorum ad Deum ducantur: homines vero ad res terrenas ruunt, ad cæleſtes ſunt tardi. Quia quantumuis is qui præeſt ſit vir ſummus, homo tamen eſt, multâ circumdatus infirmitate. Quod mortalium ſapientiſſimus Salomon agnouit: [c] *quia*, inquit, *ſum homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum*

b τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων καὶ ποικιλώτατον. c *Sap.* 9. *v.* 5.

gum &c. da mihi ſedium tuarum aſsi-ſtricem Sapientiam. Nam vt finis propoſitus obtineatur, Superiorem tantum virtute, quantum dignitate excellere, atque adeo quantum præſtat anima corpori, & quantum mens animæ, tantum ſupra inferiores eminere illum oportet.

Quapropter meritò idem Nazianzenus Artem regendi, *Artem artium* vocauit [d] & demum concluſit: *haud equidem video quanam ſcientiâ inſtructus & quibus viribus fretus, Præfecturam intrepidè quis ſuſcipere queat.*

Plurimùm autem huius Artis difficultas hinc augetur, quod non item vt aliæ artes doceatur. Exſtant Scholæ, non deſunt Magiſtri frequentes, qui in illis Grammaticam, Poëticam, Rhetoricam, aliaſque ar-

tes

d *Orat. cit*; *& Greg. Magnus Paſtor p.* 1. *c.*1. *Innocentius* 3. *c. Cùm ſit.* De ætat. & qualit.

tes profiteantur; ſunt libri plurimi, qui de ijſdem artibus præcepta continent: Exercitatio in talibus docendis diſcendiſque eſt aſſidua. Ad Artem homines regendi docendam diſcendamq́; , Gymnaſia nulla, Profeſſores nulli; præcepta non multa reperiuntur. Atque adeò illa ad humani generis ſalutem Ars tantopere neceſſaria, quam minima habet adminicula doctrinæ. Et cùm nemo, vel carmen pangere, vel Orationem declamare, vel in Scholis Philoſophicis diſputare audeat, niſi prius Poëticæ, Rhetoricæ, Dialecticæq́ue ſit præceptionibus à Magiſtris inſtitutus; ad animarum regimen, tam nimirum ſublime, imparati, & ſine vlla inſtructione, non pauci accedere coguntur; atque ſubinde illud quærunt, aut optant; *qui*, vt Magnus loquitur Gregorius: c *quæ non dedicerunt, docere concupiſcunt,*

c *In prologo Paſtor.*

cunt, & pondus Magiſterij tanto leuius æſtimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant.

Huic defectui aliquod adferri poſſe ſupplementum ſum arbitratus, ſi nonnulla perfecti regiminis Monita & Exempla, pridem à me obſeruata proponerem: tyronibus vtique in illâ difficili regenti Arte non modicum id futurum reor præſidium, iuxta Latini Philoſophi *f* dictum *longum iter per præcepta, breue per exempla.* Et ſunt nonnulli, vt ait Gregorius *g* *quos plus exempla, quam prædicamenta ſuccendunt.* Sed & ijs qui diuturnâ exercitatione & ſtudio in ea Arte proceſſerunt, Monitorum Exemplorumque proderit conſideratio. Hi enim, vt idem proſequitur Pontifex: *ſi forte ſe eſſe aliquid exiſtiment, cùm meliora de alijs cognouerint, humiliabuntur.* Nam qui in hominum regimine non deliquerint,

f *Seneca Ep. 6.* g *In Proem. Dialog.*

rint, arbitror reperiri poſſe paucisſimos. Habet hîc quoque locum illud Poëtæ: [h] *Optimus ille eſt qui minimis vrgetur.* Scitus eſt verſus antiquus

Regibus è multis regnum bene qui regat vnum
Rex vix vnus erit, ſi tamen vnus erit.

Iam vero Exempla cenſui proponenda præſtantiſſima: in primis Chriſti ipſius Optimi, Maximi. Ad quod me tum auctoritas S. P. Noſtri Ignatij impulit, qui in primâ Societatis Regula, quam Formulam Inſtituti vocamus. [i] *Præpoſitum* vult *in Prelatione ſua benignitatis ac manſuetudinis charitatiſq; Chriſti, ſemper eſſe memorem, atq; ad hanc normam aſſiduè ſpectare*: tum ipſa ratio, quæ vtique ſuadet quâuis in Arte exemplaria ad imitandum aſſumi eximia.

Pruden-

h *Horatius.* i *In Bulla Pauli 3. Regimini militantis.*

Prudentis & cordati viri eſt, inquit Nazianzenus, [k] *magnâ menſurâ vitam ſuam metiri, atq; ad excellentium virorum ſeſe imitationem componere.*

Quamuis vero Chriſtus talem regendi formam vſurpârit, qualem mortalium nullus ęquare valeat: *maioris tamen*, vt idem addit Pater, *gloriæ eſt paululum infra aquilas, quam ſupra humiles volitare alaudas.*

Adiuuat, quod, vt docuit nos Magnus Gregorius, [l] *Ideo venit Dei filius, vt non ſolùm nos per Paſſionem redimeret, verùm etiam per conuerſationem doceret.* Et cùm non modo Redemptoris, ſed & Paſtoris Officium ſuſceperit, atque talem ſeſe nominârit; hoc vtique munus dum Diſcipulos, & potiſſimum Apoſtolorum regeret Collegium, & peregit ipſe iuxta cæleſtem ſuam Sapientiam perfectiſſimè, & exemplo doctrinaque ſuâ Apoſtolos, eorumque ſucceſ-

k *Ep. ad Nicobulum.* l *Paſt. p.1. c.3.*

ſucceſſores viros ſanctos docuit. Qui omnes, vt Ioannes dixit: *de plenitudine eius* acceperunt. Quapropter merito à S. Petro [m] Chriſtus, *Princeps Paſtorum*; & à Sancto Paulo: [n] *Magnus Ouium Paſtor* eſt appellatus.

Neque vero Dominus regimen Paſtorale ſuum propoſuit dumtaxat imitandum; ſed hoc ipſum vt ſequerentur, & moribus exprimerent non ſemel ſuis præcepit. Hinc illud. [o] *Qui mihi miniſtrat me ſequatur. Quid eſt* inquit Auguſtinus, [p] *me ſequatur, niſi me imitetur*? Et quinam ſunt eius Miniſtri? niſi ij qui Ouium ipſius curam gerunt: illi enimuero Miniſtri ſunt regni eius, quod in animas ſuo ſibi ſanguine comparauit. Hos iubet ſe ſequi, id eſt, vt Cyprianus etiam explicat [q] *veſtigia eius, & itinera ſectari, & id quod ipſe*

m 1. *Pet.c.*1.*v.*4. n *Hebr.c.*13. *v.*20. o *Io.*12. *v.*26. p *Tract.* 50. *in Ioannem.* q *Lib. de zelo & liuore.*

ipſe & fecit, & docuit, imitari. Idque potiſſimum in eâ quam expreſſit, formâ regendi.

Hanc ſuam voluntatem idem Paſtorum Princeps, tum maniſeſtius declarauit, cùm Petrum Apoſtolum vniuerſi ſui gregis, ſummum Paſtorem, ſuumque in terris Vicarium renunciauit. Tunc enim poſt illud: r *Paſce oues meas*, continuo adiecit, *ſequere me*. Et *ſimul*, inquit Theophylactus, *cunctorum fidelium Prælatum inſtituit, ſimul voluit vt ſe verbis & operibus ſequeretur.*

Et Chriſti quidem regimen ſuaue æquè ac efficax, cùm omnibus Prælatis expoſitum ſit ad imitationem, tum præcipuè Superioribus Societatis noſtræ, quod eam ipſe nomine ſuo inſignire, atque ſe Ducem Caputque eius ſupremum conſtituere ſit dignatus; Et quia Pater noſter S. Ignatius, inde à primo ſuæ ad meliora

r *Io. c. 21. v. 16.*

liora conuerſionis exordio, ardentiſſimo ſtudio dicta, factáque eius, tanquam Ducis ſui perſcrutatus eſt & contemplatus; atque diuinâ eius adſpirante gratia, exactè formam, modumque quem ipſe in regendo tenuit, imitari & ad viuum exprimere eſt conatus; nihil gratius, vtriuſque noſtri Ordinis hominibus, me hoc in genere pręſtare poſſe ſum ratus, quam ſi poſt reuocatas in memoriam Theandricas nonnullas Chriſti actiones, referrem aliqua de modo quem idem S. Pater noſter in regendo, iuxta Exemplum à Domino exhibitum, ſeruauit.

Quod quidem tanto nobis eſt facilius, quod res ab eodem viro ſancto præclarè geſtæ, accuratiſſimè fuerint deſcriptæ, atque poſterorum memoriæ conſignatæ. Nam cùm à primo Societatis ortu in eâ viguerit ſumma eorum quę ad Dei gloriam in ea gerebantur, deſcribendorum

rum cura diligentiaque; tum præcipuè Fundatoris illius actiones ſingulari ſtudio fuerunt obſeruatæ. Et Ioannes 3. Luſitaniæ Rex, Ludouicum Gonſaluium, generis nobilitate, virtute, & rerum in Societate geſtarum gloriâ clarum, Romam ad Sancti Ignatij contubernium hunc in finem miſit, vt omnes eius etiam minimas notaret actiones & ſententias; atque ad ſe perſcriberet. Fecit hoc impigrè Gonſaluius, & potuit facilè, cùm eſſet Domus Romanæ Miniſter, adeoque Ignatio perfamiliaris: Commentarium igitur conſcripſit, in quem ea quę quotidie à Viro Sancto gerebantur, retulit.

Primus deinde Vitæ S. Ignatij Hiſtoriam deſcripſit, ac publici iuris fecit Petrus Ribadeneira, qui ab initio Societatis illi ad obitum vſque conuixit, atque iureiurando coram Delegatis Pontificijs, ea quæ de ipſo ſcripſerat, vera eſſe affirmauit.

uit. Maffęus fere eodem tempore, & poſt illos Orlandinus, in Annalibus Acta illius accuratè proſecutus eſt. Atque nouiſſimè Daniel Bartolus Italicè multa præclâra è tabulario Romano eruta, prioribus Hiſtorijs adiecit. Et quia quæ iſti ſcripſerunt, ea publicâ Societatis auctoritate approbata fuerunt, horum tantum proferam narrationes; atque adeò, vt ne à veritate hiſtoricâ diſcedam, ijſdem quibus ipſi, quando id fieri poterit, verbis vtar: Sancti Gregorij veſtigia ſequens, qui aſſerit ſe in referendis Exemplis, ſ *in quibuſdam ſenſum ſolummodo, in quibuſdam verò, & verba cum ſenſu tenuiſſe.*

Iam in Chriſto, & S. Ignatio illa ſolum virtutum exempla perſequar, quæ potiſſimum in Superiore requiruntur, vt ſunt Charitas eiuſque comites; itemque Prudentia & Iuſti-

ſ *In Proem. Dialog.*

Iuſtitia, ſine quibus felix regimen conſiſtere nullâ ratione poteſt. Nam reliquæ virtutes morales, Fortitudo & Temperantia, quæque ijs connexæ ſunt, Superiori & cuiuis communes ſunt Chriſtiano: ſed hoc inter Magiſtratum intereſt & Ciuem, quod in Magiſtratu, vitia longe magis indecôra ſunt, quam in Ciue, veluti maculę faciei aſperſæ. Hoc & M. Tullius vidit, qui *nullum*, inquit, [t] *vitium eſt tetrius Auaritiâ, præſertim in Principibus, & Remp. gubernantibus*. Quod equidem de alijs æquè dicere potuiſſet, de Superbiâ, Luxuriâ, Gulâ, & ſimilibus.

Quod ſi quis plura omnino deſideret Exempla & Monita, & magis particularia earum, de quibus ago, Virtutum, meminerit hoc omnibus commune eſſe Artibus, vt de illis tradi omnia non poſſint, vti pridem

t *Lib. 2. de Officijs.*

dem cenſuit Quintilianus. Nempe vſui, exercitationique multa relinquenda ſunt. Quia, vt S. Thomas docuit: u *Experientia facit Artem.* Vt tamen plenius talibus ſatisfacerem, addidi poſt Exempla Chriſti & S. Ignatij, etiam nonnulla Sanctorum Apoſtolorum & Patrum, atque Virorum Sapientum dicta, factaque prioribus illis conſentanea.

In quibus monendi mihi viſi ſunt in Arte regendi tyrones, occurrere aliqua ſubinde maioris ſeueritatis exempla; quæ in exordio Ordinis cuiuſquam religioſi, ad diſciplinam ſtabiliendam à Conditore adhiberi expediebat; quæ in illo quidem laudem, in alijs vituperium mereri poſſent.

Quę dum deſcribo omnia, & mecum ipſe perpendo, magnam mihi erubeſcendi ſentio pręberi occaſio-

u *De regim. Principum lib.3.c.7.* x *In fine Paſtoralis.*

caſionem, dum à tantarum perfe-ctione virtutum tam procul me vi-deo abeſſe. Scribere tamen aggreſ-ſus ſum, vt me ipſum, alioſque qui illa legere dignabuntur, ad meliora excitem, præſertim cùm, vt loquitur S.Gregorius, x poſſit *pulchrum de-pingere hominem pictor fœdus, alioſq; ad perfectionis littus dirigere, qui ad-huc in delictorum fluctibus verſatur.*

Et Bonauentura: y *Sapiens per alte-rius ſtultitiam interdum fit eruditior.*

Poſtremò, vt Eruditorum quo-rundam qui ad noua, & à ſacris ſcriptoribus vſitata nomina, vt ſunt Mortificatio, Diſcretio, Humilitas, & ſimilia perhorreſcunt, delicatis ſatisfiat auribus, ipſius Latinæ Elo-quentiæ parentis M. Tullij hac de re ſubiungo iudicium; *nobis*, inquit ille, z *etiam verba parienda ſunt, im-ponendaq; noua nouis rebus nomina.*

Quod

y *In prologo libri de ſex Alis.* z *Lib. 3. de Finibus, initio.*

Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius vſus vulgaris, communiſque non ſit, multam novitatem nominum eſſe, cùm conſtituantur earum rerum vocabula, quæ in quaq; arte verſantur. Quod deinde in quibuſuis euenire artibus demonſtrat, in Grammaticâ, Rhetorica, Dialectica, Phyſica, Geometriâ, Muſica, imo in ipſis artibus mechanicis, & agriculturâ, quæ *eas res*, inquit, *in quibus verſatur, nominibus notauit nouis. Quo magis hoc Philoſopho faciendum eſt. Ars eſt enim Philoſophia vitę, de qua diſſerens, arripere verba de foro non poteſt.*

Hæc M. Tullius. Et cùm Ars regendi abſque vllâ controuerſiâ ad Philoſophiam pertineat Chriſtianam, veteribus ignotam; nemò reor vitio mihi vertet, ſi in eius referendis Pronunciatis, nominibus ſubinde vtar à Romanis Scriptoribus non vſurpatis.

MONI-

MONITA ET EXEMPLA GVBERNANDI.

PARS PRIMA.

De Charitate, & Virtutibus ei annexis.

CAPVT PRIMVM.

Prima Superioris Virtus Amor Dei ardens.

CVM Deo coniunctus maxime Superior ſit oportet. Nam eius non modo Vicarius eſt, cui oues ſuas Dominus regendas commiſit; verum etiam inſtrumentum, quo earum ſalutem hominum Seruator vult operari. Inſtrumentum vero

principali cauſæ ſuæ nexum aptumque ſit neceſſe eſt. Porro amorem vi ſuâ vnitiuum eſſe notum eſt, & à myſticæ Theologiæ Doctore pridem pronunciatum. *a* Prima igitur Superioris virtus, Charitas eſt ſeu Amor Dei ac Domini noſtri IESV CHRISTI intenſus: qui idem deinde etiam ad gregem ipſi commiſſum ſe extendat.

Hoc plane ſe ſentire Chriſtus *b* Paſtorum Princeps tum clare mundo manifeſtauit, cùm Petrum Apoſtolum Eccleſiæ ſuę ſummum conſtituit Paſtorem, & Rectorem. Neque enim prius oues ſuas illi paſcendas voluit committere, quam de excellenti ipſius erga ſe amore conſtaret, idcirco iterum & tertio ab eo exquiſiuit: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Vt nimirum indicaret non niſi ardenter ipſum Deum ac Dominum ſuum amanti, oues, agnoſque ſuos committi. *Neque enim*, vt piè Bernardus, c *otioſe toties repetitum eſt: Petre amas me in commiſſione ouium, nam viſus eſt Dominus velle dicere Petro: niſi me ames pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam te, noli te intromittere de ouibus meis, pro quibus ſanguis vtiq; meus effuſus eſt. Terribilis ſermo!*

S E-

a *Cap.* 3. *de Diuin. nom.* b *Ioan.* 21. *v.* 15.
c *Serm.* 66. *in Cant.*

SECTIO PRIMA.

Patrem ſuum cœleſtem Chriſtus amore dilexit ardenti.

NEque vero verbis dumtaxat Dominus ſuos docuit ſummum eiuſmodi amorem Rectori animarum eſſe neceſſarium, ſed hoc ipſum ſuo quoque firmauit exemplo. Patrem ſuum cœleſtem à quo in mundum ſe ad animas ſaluandas regendaſque miſſum ſæpius affirmauit, ipſe vt homo amore dilexit ardentiſſimo.

Illum porro amorem totâ ſuâ quam in terris egit vitâ, omnibuſque actionibus eſt teſtatus.

Eadem velle, eademque nolle perfectam eſſe aiunt amicitiam. Ita vero Dominus Diuinæ ſuam ſubiecerat voluntatem, vt diceret *d* cibum ſuum eſſe facere voluntatem Patris: atque anima eius paternæ voluntatis executione ita viueret, ſicut terreno corpus ſuſtentatur alimento Hinc illud quod in grauiſſimis anguſtijs, triſtitiâ, & agoniâ dixit in horto: *e Non mea voluntas ſed tua fiat* Et alibi: *f Sicut docuit me Pater ſic facio. Et quæ placita ſunt*

d *Io. 4. v. 34.* e *Luc. 22. v. 42.* f *Io. 8. v. 29.*

et facio ſemper.

Amorem comitatur deſiderium, vt dilectus cognoſcatur, ametur, glorificetur. Ad hoc Dominus operam, laboremque ſuum retulit omnem. Vnde aduerſarijs ſuis fidenter dicere potuit. g *Ego non quæro gloriam meam; Ego honorifico Patrem meum.* Et in vltimo, quem ad diſcipulos protulit, ſermone, Patrem ſublatis in cœlum oculis ita eſt affatus: h *Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.* Et paulo poſt. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo.*

Amorem ſequitur gaudium, vt à Philoſophis & Doctore Angelico diſcimus. Nam cum illud quod dilecto vehementer optatur bonum obtentum eſt, amantis animus dilatatur, gaudet & exultat. Ita Dominus ingenti ſe lætitiâ perfuſum non ſemel demonſtrauit cum Patris gloriam augeri, ipſiuſque Diuinas cognoſci perfectiones animaduertit. Hoc tum euenit, cùm diſcipulos ab Euangelij prædicatione reuerſos, audiuit ea quæ fæliciter pro gloria Patris promouendâ patrârant, enarrantes: tum enim exultauit Spiritu Sancto, & dixit: i *Confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ,*

g *Io.* 8. *v.*49. h *Io.*17. *v.*4. i *Luc.*10.*v.*21.

terræ, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis.

Eodem pertinet affectus ille quem Dominus prodidit *k* quando ad Samaritanos conuertendos aditum ſibi vidit per Colloquium fœminæ apertum. Iter fecerat moleſtum; labore, fame, ſiti erat exhauſtus: Diſcipuli cibum, potumque appoſuerant. Ipſe tamen Dominus, velut ſui oblitus aut ſibi non præſens, nihil guſtabat. Nempe alibi animus eius erat, & in alio mens defixa. Amor enim, vt Dionyſius tradit *l* ecſtaſim facit, neque ſinit amantes ſui ipſorum eſſe, ſed eorum quos amant. Rapuerat nimirum animum Seruatoris Samaritanorum illorum conuerſio, ad quam appropinquabant.

Regiones illæ ad meſſem paternæ gloriç colligendam iam albicantes, ipſum non ſinebant eſſe ſuum. Vnde cum inſtarent diſcipuli: *Rabbi manduca. Ego*, inquit, *cibum habeo manducare quem vos neſcitis*; ſcilicet vt poſtea dixit, *vt perficiam opus eius qui miſit me.* Vt manifeſtem nomen eius hominibus, vt omnes in illum credant, eum cognoſcant & ament.

Huc Dominus cogitationes ſuas omnes

k *Io.* 4. l *Cap.* 4. *de Diuin. nom.*

conuerterat atque magis illo, quam vllius cibi guſtu delectabatur.

Amorem denique ſuum ingentem erga Patrem tum potiſſimum Dominus probauit, cum poſt vltimam cum diſcipulis ſuis cœnam peractam, ad hortum adeundum ſe accinxit. Sciebat ibi vitæ ſuæ inſidias, captiuitatem & vincula parari. Nihilominus poſt ſermonem ad diſcipulos pronunciatum: *Vt cognoſcat*, inquit, m *mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; Surgite eamus hinc.* Ac ſi diceret, eamus ad hortum Gethſemani, eamus ad fatalem humano generi hortum quò vt veniant atque me comprehendant, iam Miniſtri Pontificum, & Iudęi arma expediunt: Eamus ad opprobria, ad contumelias, ad flagella, ad tormenta, ad Crucem, ad mortem. Hæc enim omnia Domino erant notiſſima & velut ante oculos poſita. Poteratne maiori indicio declarare quantùm Patrem diligeret? *Dilexit Chriſtus Patrem*, vt Bernardus loquitur n *dilectione ingenti, ſine menſura, ſine modo, qua ſupereminet vniuerſis.*

S E-

m *Io.* 14. *v.*31. n *Serm.*4. *Hebd. Sanctæ.*

SECTIO SECVNDA.

Sancti Ignatij inſignis in Chriſtum ac Deum Amor.

IMmenſus fuit Amor quo in Deum ac Chriſtum accendebatur S. Ignatius. Ipſe non ſemel faſſus eſt verba ſibi deeſſe quibus ardentes animi ſui affectus explicaret. Nimirum terrena noſtra vocabularia verba non complectuntur, quibus cæleſtes amantium ſenſus exprimantur.

Non ſolebat, ſicut accepimus, S. Pater vocibus vnquam vti ſuperlatiuis; *a* Et tamen cum de ſuo erga Deum amore loqueretur, adhibere illas eſt coactus. Extat *b* fragmentum aliquod eorum commentariorum, in quibus Sanctorum hominum more ſenſus ſuos internos quotidie annotabat, ibi id generis multa, vt infra videbimus, leguntur.

Et quamuis pro ſuâ ſummâ humilitate Vir Sanctus amoris illas flammas occultaret, earum tamen non raro emicabant ſcintillæ. *c* Nempe, *ægre poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo.* Quocirca Viri graues,

a *Ribad. lib.* 5. *c.*6. b *Apud Daniel. Bart. lib.*4. *n.*29. c *Prou.*6. *v.*27.

Sanctique plures teſtati ſunt *d* vidiſſe ſe prorumpentes è vultu ipſius diuini illius ignis radios ſæpius, immo plerumque ſe eos videre aſſerebat S. Philippus Nerius. Vidit illos Barcinone piiſſima matrona Iſabella Roſella. Vidit eoſdem Ioannes Paſchalis. Vidit Romæ Alexander Petronius Medicus decumbens, dum ſimul eius beneficio ſanitatem recuperauit. Viderunt Aſpeitiæ duæ matronæ nobiles eius affines.

Viderunt *e* ſimiliter non pauci eum fulgore quodam cœleſti vndique cinctum, & coruſcantem è terrâ ad aliquot cubitos in aëra ſublimem eleuari, atque ita ſuſpenſum in ſuauiſſimas haſce voces prorumpentem: *Mi Deus! Amor cordis mei! vtinam te homines noſſent!* Hoc idem Paſchalis iuratus aliique ſunt teſtati.

P. Nicolaus Lanoyus verò *f* cùm quadam die ſacris operanti Ignatio adeſſet, repente ardentem flammæ cuiuſdam facem, capiti eius imminentem conſpexit; cumque trepidus ad periculum diſpellendum accurreret, videretque Sanctum Patrem ab omni ignis noxâ penitus ſecurum, agnouit ſcilicet cœleſtem illam eſſe flammam,

d *Ribadeneira, Orlandinus, aliique.* e *Orland. lib.*1.*n* 49. f *Bartolus lib.*4. *n*. 27.

mam, & illius qui in pectore eius ardebat, amoris ſplendorem.

Ignem quem elementarem vocant Philoſophi, & proximum cœlo ſupra aërem locant, purum omnino eſſe aſſerunt, nullius terrenæ vel aqueæ exhalationis mixtione concretum. Talis erat igneus Sancti Ignatij amor, nullo omnino creatæ cuiuſcunque rei affectu permixtus. Quin imò neque pœnis, neque præmijs æternis ad Deum amandum incitari ſe ſentiebat.

Pone cœlum nullum, inferos nullos propoſitos fuiſſe à Deo, hunc tamen Ignatius ardentiſſimè amâſſet, idque tantum propter ipſum. Quocirca ſæpe Deum alloquens dicere ex intimo corde eſt auditus: g *Quid ego extra te Domine volo aut quid velim?* Quoties verò è loco ſublimi, patentique cœlum contemplabatur, inenarrabili lætitiâ cumulatum ingemuiſſe ferunt: *Heu! quam ſordet terra dum cœlum aſpicio!* nihil proinde in mundo erat, cuius deſiderio teneretur, nihil quod formidaret. Nihil amabat niſi Deum, & ſi quid amabat præterea, in illo tantum amabat Deum. Itaque à primis vitæ ſanctioris ſuæ exordijs notam hanc concinnauit orationem: h *Suſcipe Domine vniuerſam meam libertatem, &c.*

g *Ribad. lib.* 5. *cap.* 1. h *In lib. Exercit.*

&c. Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & diues ſum ſatis, nec aliud quippiam vltra poſco.

Tanto igitur Dei amore inflammatus, rerum autem conditarum amore prorſus vacuus cum eſſet, mirum non eſt quod vehementiſſimo deſiderio é corporis vinculis euolandi accenderetur. *i* Idque vt Deo dilectiſſimo ſuo frui tandem poſſet, Chriſtique humanitatem, quæ toties ei ſe in terris præbuerat viſendam, glorioſam in cœlis ſpectare. Itaque quoties de morte ſua cogitabat, à lacrymis nequibat præ lætitia temperare.

Quare *k* cum anno M.D.L. ſacro Natali Domini die vnum & alterum Sacrificium continenter, eo quo ſolebat ardore, animique contentione feciſſet, virium defectione langueſcens, graui correptus eſt morbo. Quod vero ſibi perſuaderet ſe è corporis vinculis emittendum tantis animi voluptatibus deliniri, tantis perfundi cœpit ſuauitatibus, vt cùm fluentibus ſine modo lacrymis imperare non poſſet, ingens corpori detrimentum adferret, roganduſque & à domeſticis, & à Medicis fuerit, vt nimios illos frænaret ardores, ne deſtitu-tum

i *Ribad. ſupra.* k *Orland. lib.* 10. *n.* 72. *Maffæus lib.* 3. *c.* 3.

tum viribus corpus languore demum deficeret. Semper igitur, ſed poſtremis potiſſimum vitæ annis, exemplo Apoſtoli diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ſummo exoptabat deſiderio.

Ingens porrò amoris iſte ardor, non in ſolis affectibus, deſiderijſque potuit velut otioſus contineri. Agere multa, pati plurima pro dilecto, nunquam intermiſit.

In primis illud ſtuduit, vt quæ placita eſſent Patri cœleſti, ea perpetuo ageret. Nullum igitur vel minimum delictum in animo ſuo reſidere patiebatur. Examine, particulari, vt loquimur, minimas etiam erratorum fibras è mente extirpabat. Argumento hoc ſit. *l* Cùm ſubinde in riſum quemdam indecorum prorumperet, ad illum euitandum dicti examinis adhibuit induſtriam; ſed ſeriam illam, efficacemque. Quoties in iſtam indecentiam per diem lapſum ſe ſub veſperam deprehendebat, totidem catenæ ferreæ repetitis verberationibus culpam expiabat. Ita facilè vitium illud exterminauit. Et ſi in re per ſe exigua emendanda tantam adhibuit curam; in alijs quid eum præſtitiſſe cenſebimus?

Singu-

l *Bartolus lib.4. n.25.*

Singulis horis in animum à rebus creatis auocatum inquirebat, num quid contra numinis ſupremi voluntatem admiſiſſet. *m* Atque hac tantâ curâ diligentiâque ad ſummam mentis mox prouectus eſt puritatem.

Iam ſicut in ſe nihil tolerabat, quod diſplicere Domino poteſt: ita diu, noctuque animo aliud non voluebat, niſi qua ratione ipſi maxime placere, eiuſque voluntatem omnem explere, & gloriam quam maximè augere poſſet. *n*

E notis Iacobi Mironis viri longe piiſſimi, qui viuenti Ignatio perfamiliaris fuit, habemus *o* eum ſub prima vitæ ſanctioris exordia ſecum diu multumque meditatum, atque impensè inueſtigâſſe, quânam potiſſimum ratione poſſet ſummam Deo gloriam comparare, & obſequium Diuinæ Majeſtatis plurimum promouere. Et cùm nihil mediocre, ſed omnia ſumma, vt erat ingentis animi, mente agitaret, non inuenit quidquam diuinæ gloriæ adaugendæ efficacius, quam id quod vidit Chriſto Dei filio fuiſſe propoſitum, nimirum procurare animarum ſalutem, ad gloriam Patris æterni.

Ad

m *Ribad. lib.* 5. *c.*1. n *Maffæus lib.*3. *c.*3. o *Bartolus lib.* 4. *n.*26.

Ad hunc igitur finem Societatem condidit; vt videlicet tota in animarum ſalutem incumberet, atque ita gloriam Dei maiorem promoueret..

Huic vni cogitationi à Deo excitatæ ſuam debet originem Societas & huc omnia eius miniſteria, opera atque induſtriæ referuntur. Quapropter etiam in conſtitutionibus illa verba: *Maius Dei obſequium, Maior Dei gloria, Maior Diuinæ Majeſtatis honor*, vbique pænè, pluſquam ducenties certe occurrunt.

Hoc ipſum Pontifex maximus in Bulla Canonizationis eius tanquam rem irrefragabili probatam teſtimonio, poſteris voluit innoteſcere his verbis: p *Omnes ſuas cogitationes verba, & opera in Deum tanquam in finem referebat, & ad Deum, & Dei gloriam, & honorem deſtinabat. Atq; hæc verba, videlicet* Ad maiorem Dei gloriam, *vti Symbolum in ore ſemper habebat.*

Sed ingens Diuinæ gloriæ deſiderium in corde Ignatij arſiſſe, totius etiam vitæ ipſius actiones comprobârunt. q Vt peccata, quibus Diuina bonitas offenditur, impediret, nihil omiſit.

Celebre in Hiſtorijs eſt quod Pariſijs patrauit.

p *Bulla Vrbani VIII.* q *Orland. lib.* 1. *n.* 69. *Ribad. lib.* 5. *c.* 2.

trauit. Tempeſtate perfrigidâ collo tenus ſe in ſtagnum prægelidum demerſit, vt hominem impudicum à turpi, quo properabat, flagitio, reuocaret. Item quod grandis natu, & ſ Præpoſitus Generalis Meretriculas ipſemet à peccandi occaſione abſtractas, ad loca tutiora deducebat. Et cùm ab amicis admoneretur, fruſtra tempus & laborem eo in opere inſumi, & breui fæminas illas ad ingenium redituras: Ego vero, inquiebat, cuiuſlibet iſtarum vnius tantum noctis impediuiſſe flagitia & in Deum iniurias, omnis operæ & vigilantiæ pretium duxerim.

Quantopere vero doleret de iniurijs quæ per peccata Conditoris bonitati irrogantur, è dicto quodam eius memorabili eſt colligere, quod his verbis relatum eſt. ſ Subijt, inquiebat vir Sanctus hæc cogitatio. Quid ſi Deus me ipsâ in gehenna collocaret? Hîc vero duo mihi offerebantur: ex vnâ parte Cruciatus quos eo loco perferrem; ex alterâ maledicta in Deum quæ audirem.

In priore non poteram mihi dolorem repræſentare neque ijs cruciatibus commoueri: atque ita videbatur mihi multo acerbius fore in ſanctiſſimum Dei nomen audire

ſ *Orland. lib.* 10. *n.* 62.

re blaſphemias.

Sicut pœnas ipſas inferorum minoris S. Ignatius faciebat peccato; ita pluris ducebat animæ vnius ſalutem, quam gloriæ cæleſtis obtinendæ ſecuritatem. Hoc ipſemet aliquando ſuis declarauit. Ita ſe affectum dixit, vt ſi in poteſtate eius foret vel mori illico & rectà ad glorioſam Dei viſionem in cœlum transferri; vel manere in terris cum ſalutis ſuæ incertitudine, ſed ita vt vnam Deo animam certò lucraretur, ſe hoc poſterius vtique electurum. *Nempe animæ ſponſum fortiter amantis illud eſt proprium*, inquit Gregorius, *t* *vt per hoc quod ipſa à Dei viſione differtur, aliorum animæ ad cæleſtem ſponſum amoris facibus inardeſcant.* Et hanc Chryſoſtomus *u* vocat maximam amoris victoriam: *velle carere Dei viſione ob Chriſti obſequium.* Quod victoriæ genus in Ignatio tantò fuit illuſtrius, quantò ardentius eum ad vitam futuram, paulo ante diximus aſpirâſſe.

Propagatâ iam aliquantum Societate iuſſit ſingulis ſiue ſeptimanis, ſiue menſibus ad ſe perſcribi à ſuis, quid pro animarum ſalute ac lucro patrâſſent. *x* Cùmque Litteras illas quibus plurima narrabantur de

t *Hom.* 15. *in Ezech.* u *Hom.* 17. x *Orland. lib.* 9. *n.* 20.

de peccatorum conuerſione, Hæreticorum reductione, Turcarum inſtructione & Baptiſmo, aliaque id genus legeret; incredibili vir ſanctus exultabat mentis gaudio. Vultus ardeſcebat, ex oculis lacrymæ proſiliebant, tenerrimo affectu pœne ad ſingula hærebat, atque Cœlum ſuſpiciens confitebatur Domino, gratiaſque cœleſti agebat Patri, quod tam infirmis dignaretur ad res tantas peragendas, vti inſtrumentis.

His ergo, alijſque quæ breuitatis ſtudio omittuntur dictis & factis, S. Ignatius quantopere Deum amaret gloriamque eius quæreret, demonſtrauit.

Sed excellentius idipſum plurimis quæ paſſus eſt probauit. Quamdiu in ſpelunca ſuâ Manreſana, & inter pauperum quiſquilias deliteſcens, totum ſe contemplatione rerum cæleſtium, corporeiſque pœnis occupauit: oculis mortalium tanquam vir ſanctus aſpiciebatur, ad illum videndum populus accurrebat, omnium voce in cœlum tollebatur, omnia eius facta tanquam hominis ſancti laudabantur. Si gloriam tantum ſuam quæſiuiſſet, illam conſequi eâ viuendi ratione poterat maximam.

Verum cum Diuinâ gloriâ ſuæ præpoſitâ, animarum ſaluti procurandæ totum ſe, relictâ contemplationis quiete cœpit impendere,

pendere, mox velut agmine facto ex infe-ris erumpentes ſuriæ, innumeras contra illum concitârunt procellas. Is qui antea omnium ore, vt vir ſanctus celebrabatur, mox impius, ſceleratus, hæreticus cœpit audire.

Compluti dum literis operam dare incipit, & ſimul complures ad virtutem, ſanctitatemque inſtituere, multis affectus primum eſt contumelijs: tum apud Iudices accuſatus; demum ob leuem ſuſpicionem, cum eſſet prorſus innocens, duos & quadraginta dies in carcere eſt detentus. *y* Neque nobiliſſimarum Matronarum interceſſionem, neque amicorum opem, neque vllius Aduocati patrocinium pro ſe paſſus eſt adhiberi. Eorum nempe premebat veſtigia, qui ibant gaudentes quod digni eſſent habiti pro nomine I E S V contumeliam pati.

Magis illud animi gaudium prodidit, *z* cum non diu pòſt etiam Salmanticæ innocens in carcerem male materiatum, ſordibus repletum, fœtore tetrum detruſus eſt. Ibi ferreâ etiam catenâ duodecim, tredecimque longâ palmos vinctus, ſocioque alligatus multos dies perdurauit. Etiam hîc nullius implorauit patrocinium. Viſebatur

y *Ribad. lib.* 1. *c.* 14. z *Ibid. c.*15.

batur tamen ab amicis frequentibus; quos non ceſſabat more ſuo ad virtutem Deique amorem ardentibus excitare verbis.

In his Franciſcus Mendoſius, pòſt S. R. E. Cardinalis, cùm familiariter aliquando ex eo quæreret, dolenterne carcerem illum, atque vincula ferret? Illi Ignatius: An tantum malum tibi videtur carcer eſſe? At ſcito non tot eſſe compedes Salmanticæ, neque tot catenas, quin ego longe plures pro Chriſto geſtare cupiam. Similiter Matronis quibuſdam admodum pijs, quæ literis ad illum ſcriptis, dolere ſe de ipſius calamitate, & non minus indignari ſe eius aduerſarijs teſtabantur; reſcripſit: ſe quidem gaudio exultare, & maiora atque grauiora propter Dominum ſuum patiendi, perferendique cupiditate vehementer accendi. Ex aduerſo verò ſe oppido mirari, illas, quibus Crucis Chriſti myſterium notum eſſe oporteret, immenſos gloriæ theſauros in cruce incluſos penitus ignorare.

Pariſios venit, [a] ibi mox nomen eius ad ſacrum fidei Quæſitorem defertur: ab eo in iudicium abſens vocatur; domum reuerſus ſe vltro ſiſtit, & iam in carcerem

ire

[a] *Orland. lib.* 1. *n.* 70, 71.

ire paratus erat, niſi virtutis, innocentiæ-ques clara eum indicia liberâſſent. Tempeſtatem illam mox alia, atque alia excepit. Virgarum publicum ac ſolemne in Aulâ ſupplicium illi decretum, & prodigioſâ quâdam animorum mutatione diſcuſſum eſt.

Fuit deinde qui ipſum interficere, ob Xauerium ad Chriſti caſtra traductum, animo decreuit; Et iam enſe nudo armatus, aduerſus illum properabat, cum voce de cœlo miſsâ territus, pedem cœpit referre.

Venetijs β ſimiliter quieto eſſe non licuit: Satana agitante rumor ſparſus eſt profugum illum toto orbe terrarum vagari ſtatuam eius velut infamis, & peſtilentis hæretici, qui fugâ ſe ſubduxiſſet, in Hiſpanijs, Gallijſque concrematam.

Eadem grauiſſima calumnia Romæ denique contra illum renouata, animos mortalium mirificè turbauit, omneſque ab illius & ſociorum conſortio aliquamdiu abſterruit. Verùm luce veritatis mendacia illa facile diſcuſſa euanuerunt.

Tanti vero aduerſa illa, quæ frequentiſſimè occurrebant æſtimabat Ignatius, γ vt aperte diceret, ſi quæ à Deo creata ſunt omnia

β *Ibid. n.* 120. γ *Ribad. lib.* 5. *c.* 10.

omnia in bilancis parte collocarentur alterâ, in alterâ carcer, catenæ, & quæ paſſus erat probra; hæc longe maioris fore ponderis; illa vero omnia præ his momentum apud ſe nullum habitura.

Neque lætitiam vllam è rebus creatis capi tantam, quæ æquari poſſit gaudio Spiritus Sancti, quod mentibus eorum infundit Deus, qui multa, magnaque pro eius amore pertulerunt.

Porro quemadmodum & gaudebat, & gloriabatur aduerſis, ita Deus liberali manu illa ipſi largiebatur. Et Iacobus Laynius ſæpiſſime à ſe obſeruatum prodidit, quod cùm abſente Ignatio ſocij eius quietiſſimè viuerent, ad illius aduentum, mox tempeſtates ingentes, & procellæ fuerint concitatæ. Indicium vtique clarum, quanto & quam implacabili contra illum odio Satan fureret.

Quia verò longum foret omnia quæ paſſus eſt recenſere, vnum poſtremo libet referre. ∫ Dum Barcinone literis operam nauat, obſeruatque Monaſterium Angelorum in pomerio vrbis ſitum, ob parum honeſtam quorundam familiaritatem male audire. Vir ſanctus cui Diuinæ gloriæ incrementum magnopere curæ erat, animum ſeriò

∫ *Orland. lib.*1. *n.*50. *Bartolus lib.*1.*n.*28.

ſeriò ad probra illa impedienda adiecit. Exemplo ſuo, cohortationibus, pijs commentationibus ſacras illas virgines, ad ſanctiorem viuendi rationem inducit. Hoc ijs qui prauâ illâ vtebantur conſuetudine doluit ſummopere. Minas, terroreſque primùm, tum verbera ſemel iterumque atrocia ipſi intentant. Deniqúe cum neque ſic à Dei gloria promouenda abſterreretur; Mauritana duo ſubmiſerunt mancipia, vt eum è Monaſterio redeuntem occiderent. Illum Mauri pugnis calcibuſque crudeliter contuſum; demum ita fuſtibus ceciderunt, vt rati mortuum in terra reliquerint proſtratum. A tranſeunte illac forte molitore in iumentum cadaueri quam homini ſimilior ſublatus, & in domum Agnetis Paſcalis deuectus, nihil propius abfuit, quam vt animam ageret. Neque enim corporis partem vllam mouere poterat, niſi oculos, quos in cœlum identidem tollebat, & linguam, quâ Deum vt poterat, laudabat, atque pro facinoroſis orabat: quos tametſi nouerat, nunquam tamen, vt nominaret, potuit adduci. Poſt tres & quinquaginta tandem dies, viribus reſtitutus, vt primum domo pedem efferre licuit, ad inſtitutum reuerſus, Diuinæ gloriæ eodem in Monaſterio propagandæ ſtrenuè

ſtrenuè ſe reddidit. Agnes quæ maternâ quadam erga eum afficiebatur ſollicitudine, precabatur enixè & tantum non ſuppliciter, ne vitam, ſalutemque ſuam præſentiſſimo iterum obijcere periculo vellet. Verum Ignatius quem Dei amor nihil docuerat timere præter peccatum, at mortem pro gloria eius ſummi loco beneficij ducere, optimæ matronæ ſedatè reſpondit: non poſſe ſibi quicqnam accidere felicius & optatius, quam pro Dei gloria, animarumque ſalute mortem occumbere.

Sectio Tertia.

Exemplis allatis Ratio, ac SS. Patrum dicta factaq; ſuffragantur.

QVantopere Diuinus Amor in corde Superiorum ardere debeat, illuſtriſſima illa, quæ attulimus, clare docent exempla. Ex illo amore velut fonte, omnis cogitandi, agendi, patiendique vis dimanet neceſſe eſt. Docebit, imo impellet amor ille Prępoſiti mentem, vt non internis ſolum affectibus Diuinæ ſeruiat Majeſtati, verum vt ſtudioſe exquirat modos, viaſque quibus Diuinam perpetuò augeat gloriam, eamque maiorem, &, ſi fieri poteſt,

poteſt, maximam procuret: voluntatem illius magis quam hominum quorumcumque ſectetur: magna generosè aggrediatur; plurima pro ipſo fortiter patiatur.

Hunc eſſe Amoris genium præclare obſeruauit Bonauentura. *a Amor Dei*, inquit, *non tantum deſiderat eius dulcedine frui, & ei adhærere, ſed etiam diligit eius beneplacitum impleri: eius cultum ampliari, & honorem ſublimari: vult eum ab omnibus agnoſci, ab omnibus amari, ab omnibus ei ſeruiri, & ſuper omnia honorari.* Huc ergo curas ſuas omnes, cogitationeſque conuertat quiuis Prælatus, animarumque Rector. Meminerit ſe eſſe Vicarium ac Miniſtrum Chriſti & regni illius, iuxta illud Sapientiæ: *b Cùm eſſetis Miniſtri regni illius, &c.*

Iam vero niſi Chriſtus ac Sancti, Apoſtolicique viri ſuo nos docerent exemplo, qua ratione Miniſtrum Domino ſuo oporteat ſeruire, id ab ijs, qui in Aulis, Regibus, ac Principibus miniſtrant, addiſcere liceret. Quantum illi ſtudium, zelumque præſeferunt Regis aut Principis ſui obſequia, honorem, & commodum promouendo? Nihil in ore habent frequentius, nihil ſe cogitare, nihil quærere profitentur aliud

a *De 6 Alis c 3.n.2.* b *Cap. 6. v.5.*

aliud quam Regis obſequium *c*.

Quanto igitur præſtantioris Regis Miniſtri ſunt Prælati, ac animarum Rectores, tanto ſtudioſius, conſtantius, ardentius eius obſequium, honorem, & gloriam tenentur promouere.

Vnum poſtremò prætereundum non eſt. Graues eæque non paucæ Superiori cuiuis exhauriendæ occurrunt difficultates & ærumnæ. Ei animæ ſubiectorum ac corpora curanda, res familiaris ac ſanctitas promouenda, non domeſtici ſolum, ſed & externi ſunt fouendi: Omnium debitor eſt Superior eiuſque vt loquitur Gregorius: *d Mentem curarum denſitas vaſtat.* In his tantis quo modo perdurabit tempeſtatibus, niſi ſolatij alicuius cœleſtis lenimento ſuſtentetur! Hoc autem ab vno eoque ſolo ſperari poteſt Dei amore, cuius dulcedine amara omnia dulcorantur. Patriarcham Iacob ſacræ memorant literæ *e* pro Rachele ſponſa, quam mirifice amabat, ſeptem totos annos Labano ſeruiuiſſe. Frigus, æſtum, labores, ſudoreſque in ouibus paſcendis animo ſemper erecto eum pertuliſſe. Nempe leues illi ærumnas omnes faciebat Amor, *videbanturq́ illi pauci*

c *Le ſeruice du Roy.* d *Lib.* 1. *Dial. c.* 4.
e *Gen.* 29. *v.* 20.

pauci dies præ amoris magnitudine. Qui oues Chriſti paſcere iubentur, nullo alio fomento æquè potenter ærumnas, curaſque ſuas mitigare poſſunt, quam ardenti Domini ſui cæleſtiſque ſponſi amore.

Huius ſententiæ teſtem habemus magnum illum Eccleſiæ Rectorem, & Apoſtolum, Paulum qui tanta pro Chriſti gloriâ & egit, & paſſus eſt; quid enimuero tantum ei robur præſtitit, niſi Amor eiuſdem Domini ſui inuictus? Is profectò nullis vnquam potuit laboribus, anguſtijs, aduerſis, maliſque ſuperari.

Eſt equidem, *eſt fortis vt mors dilectio*, f cui reſiſti non poteſt. *Reſiſtitur*, inquit Auguſtinus, g *ignibus, vndis, ferro. Reſiſtitur Poteſtatibus, reſiſtitur Regibus, venit vna mors, quis ei reſiſtit? Nihil illâ eſt fortius.* Ita amore Pauli nihil potuit fortius inueniri. Neque Iudæorum furor, neque Gentilium crudelitas, neque coniuratæ inferorum acies, à Chriſto illum auellere potuerunt. Quin imo mors ipſa victa quodammodo ab eo videtur receſſiſſe. Nam cum Neronis ſententiâ ob Chriſti Euangelium, ad mortem damnatus, caputque ei præciſum eſſet, ter nomen I E S V à ſacro eius ore prolatum fuiſſe Hiſtorici memorant.

f *Cant.* 8. *v.* 6. g *In Pſal.* 12.

morant. Nempe morti amor victor inſultauit. Probauit in illâ vltimâ vitæ cataſtrophe, id quod pridem ante dixerat. *h Certus ſum quod neque mors, neque vita, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.*

Tanta potuit pati Apoſtolus, quia Dominum ardenter amabat, neque fuit ex ſententiâ Chryſoſtomi, *i* qui Paulo vehementius dilexerit Chriſtum.

CAPVT SECVNDVM.

Qua ratione Amor Dei, exerceri augerique poſſit.

INgenti animarum Rectorem Chriſti Dei ac Domini amore volumus ardere. At quanam ignis ille materiâ ali, & conſeruari, quo etiam flabello accendi vehementius & augeri poterit?

Se-

h *Rom.* 8. *v.* 38. i *Lib.* 3. *de Sacerd.*

Sectio Prima.

Chriſtus Oratione aſſiduâ Patris ſui amorem exercuit.

CHriſtus ſummus Paſtor, orare, atque cum Deo aſſiduè verſari ſuo nos docuit exemplo. Non poterat à Patre ſeparari quo ad Diuinitatem, quia ipſe & Pater vnum erat; Sacra quoque eius Humanitas, vnione hypoſtaticâ verbo coniuncta, & viſione Dei illuſtrata, non poterat non amare Patrem ardentiſſimè. Nihilominus, vt nos doceret Dei amantem totum debere eſſe in Oratione, non modo verbis, ſed etiam exemplo, & perpetuò orandum eſſe dixit, & ipſe aſſidue hoc egit: nimirum vt Ambroſius *a* dixit: *Speciem nobis dedit, formam præſcripſit quam æmulemur.* Et quidem à primâ ſua pueritia, cùm duodennis, parentibus relictis in Templo Hieroſolymitano remanſit, quid illo triduo egit? ipſemet declarauit. *b In ijs*, inquit, *quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Nempe quod colloquio cum Doctoribus ſupererat tempus, hoc Dominus Orationi & familiari cum Patre cæleſti congreſ-

a *Lib.5. in Lucam.* b *Luc.2. v.47.*

ſui impendebat.

Neque dubium eſſe poteſt, quin triginta quibus latere voluit annis, intra domunculæ Nazarenæ parietes, Oratione, & contemplatione perpetuâ fuerit occupatus. Verum id Euangeliſtæ ſcire nos noluerunt: ſed ex eo quod de illo poſt annos illos peractos tradiderunt, licet coniectare.

Principiò poſtquam à Ioanne in Iordane baptiſmum ſuſcepit, abijt in deſertum, vbi quadraginta dies ſolus ſine cibo, potuque contemplationi, & Orationi totum ſe addixit. Quæ quidem contemplatio, & cum Patre cœleſti conſuetudo, ſeueritatem illam ieiunij ſuâ dulcedine mitigauit.

Hoc deinde in omni reliquâ ſua vita perpetuo vſurpauit: Diurnum tempus populis docendis, concionibus ad illos habendis, languidis curandis, Diſcipulis inſtruendis & eiuſmodi ſanctis operibus: Nocturnum verò fere Orationi impendebat. Frequens autem illi erat vel in montem quempiam aſcendere, vt cœlo eſſet propinquior, vel in deſertum aliquem ſecedere locum, ne ab hominum turbis interpellaretur, vel in hortum aliquem ſe ad orandum recipere.

Ita Marcus narrat, eum, cùm in turbis docendis, languidiſque plurimis curandis

multùm

multùm laborâſſet vſque in ſeram veſperam; nocte ſequenti, ſomno modicè delibato, ſummo mane cum necdum illuxiſſet ſurrexiſſe, in deſertum locum abijſſe, atque ibi orâſſe, *Et diliculo valde*, inquit, c *ſurgens egreſſus abijt in deſertum, ibiq; orabat.*

Similiter cum nomen eius ob miracula & infirmorum curationes, apud populos celebraretur & turbæ multæ ad eum audiendum, atque ad ſanitatem impetrandam concurrerent, refert Lucas eum ſe ab eorum frequentiâ ſubduxiſſe, & ad orandum in deſertum locum ſe recepiſſe: *Conueniebant*, inquit, d *turbæ multæ vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis; ipſe autem ſecedebat in deſertum locum, & orabat.* Poſtquam autem prodigiosâ illâ, & benefica liberalitate quinque hominum millia, panibus quinque & piſcibus duobus in deſerto pauit & populum illum tanto prodigio ſtupefactum vnà cum Diſcipulis à ſe dimiſit, e *aſcendit in montem ſolus orare, veſpere autem facto ſolus erat ibi.* Neque breuis ea fuit Oratio; ſubiungit enim Euangeliſta; eum quartâ vigiliâ noctis veniſſe ad diſcipulos.

c *Cap.* 1. *v.*35. πρωὶ ἔννυχον d *Cap.* 5. *v.*15. e *Matt.* 14. *v.* 23.

Itaque poſtquam totâ nocte vſque ad auroram orâſſet Dominus, ad diſcipulos qui interea fluctibus maris, aduerſoque iactati fuerant vento, peruenit.

In monte quoque Dominum orâſſe, idque totam noctem, teſtatur Lucas, priuſquam duodecim Apoſtolos eligeret, & deſignaret. *In illis diebus*, inquit, *f exijt in montem orare, & erat pernoctans in Oratione Dei.*

Hęc, aliaque id genus quæ paſſim enarrant Euangeliſtę, fecit Dominus, vt exemplo ſuo, Diſcipulos futuros. Eccleſię ſuæ Rectores, doceret, identidem à publico ſecedendum, & contemplationi, atque familiari cum Deo vſui operam dandam. Sed hoc ipſum quoque verbis eos docuit cùm dixit: *g Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Quin immo & modum & formulam orandi ijs pręſcripſit: *Sic*, inquit, *h orabitis: Pater noſter qui es in cœlis &c.* Neque piguit cæleſtem Magiſtrum eamdem orandi formulam, vti nonnulli viri doctiſſimi cenſent, iteratò proponere. Cum rogatus à quodam Diſcipulo qui forte primę illi inſtructioni non ad fuerat, vt doceret ipſos orare, prędictum orandi modum repetiuit.

f *Cap.6.v.12.* g *Luc.18.c.1.* h *Matt.6.v.9.*

Sectio Secvnda.

S. Ignatius Oratione Amorem Diuinum in ſe accendit.

SAnctus Ignatius primas Amoris Diuini flammas in corde ſuo, Oratione, & contemplatione aſſiduâ in ſeceſſu ſuo Manreſano accendit, eas deinde tota ſuâ vitâ eodem Orationis exercitio non conſeruauit ſolum, ſed & auxit vehementer, ita vt ad ſublimes admodum rerum diuinarum notitias, reuelationes viſiones, ecſtaſes fuerit eleuatus.

Dum Societatem regeret vniuerſam, quotidie multas quidem horas orationi, tum mentali, tum vocali impendebat, ſed certo tempore ſecedebat, & ſubinde exemplo Chriſti in locum eminentiorem aſcendebat, vt ſicut corpore, ita animo cœlo eſſet vicinior. Ibi vel ſtabat corpore immoto, & fixis in cœlum oculis, vel flectebat genua, vel humili in ſcabello ob corporis imbecillitatem conſidebat. *a* Tum vero amore ita in Deum accendebatur, vt voces illę ab eo emiſſæ audirentur: *Domine quid volo extra te?* aliæque quas ſupra retulimus.

a *Ribad. lib.*5. *c.*1.

mus. Fluebant interea perennes ex eius oculis lacrymarum riuuli, incendij indices interni.

Subinde verò in cubiculum ſuum ſe certo tempore recipiebat, *b* præſertim poſt Miſſæ peractum Sacrificium, vbi duabus horis, ita vt nulli fas eſſet ipſum adire, ſe continebat. Soli P. Ludouico Gonſaluio Domus Miniſtro, id ob negotia grauia, quæ moram non paterentur, licebat. Qui quoties ad eum intrabat, vultum eius cernebat miro quodam ſplendore coruſcare, eumque tanquam hominem cæleſtem attonitus venerabatur.

Iacobus Laynius Moyſi illum idcirco comparabat, quod facie ad faciem cum Domino loqui videretur. Sed Legiſlatori illi etiam in hoc ſimilis fuit, quod ex conſortio Dei ſplendida eſſet eius facies.

Neque diurnum ſolum tempus, Ignatius colloquio cum Deo, ſed nocturnum quoque magnâ ex parte impendebat. Noctem enim trifariam partiebatur. Vnam partem regimini, alteram quieti, tertiam vero tribuebat Orationi. Et coronam quidem precatoriam Virginis Deiparę, ſecum ſemper ad lectulum deportabat.

Neque vero mens eius tum ſolum Di-
uini

b *Bartolus lib.4. n. 27.*

uini Amoris ignem concipiebat, cum Myſterijs Diuinis meditandis contemplandiſque animum intendebat ; verum etiam quoties Miſſæ Sacrificium legeret, ad ſingula pæne verba ſubſiſtere, lacrymis & ſingultibus locum dare, ardentibus affectibus inhærere cogebatur.

Ita Officio horario recitando multum temporis impendebat,quod in ſingulis verſiculis latentes & profundos quoſdam rerum cæleſtium ſenſus,mentis acie penetraret, ſicut ij qui vniones ex oceani fundo educunt. In ſingulis itaque pæne ſententijs magno cum affectu, & lacrymarum profuſion, cogebatur ſubſiſtere. Et quia tot lacrymæ oculis eius plurimum officiebant, metuſque erat ne excæcaretur, Paulus tertius Pontifex eum ab onere recitandi officij, ſubſtitutis alijs precibus immunem fecit.

Etiam inter ipſa negotia, & labores pro Societate vel animarum ſalute ſuſceptos, mentem identidem ad Deum eleuabat, neque animum ſolum, ſed etiam oculos vultumque, vnde externi nominis illius ignari, deſcriptione vtentes, vocabant ipſum, Patrem qui oculos ſemper in cœlum fixos habet, qui ſemper de Deo loquitur.

Si Muſicæ concentum audiret, ſi no-

men IESV aut Dei audiret, ſi plantam quampiam aſpiceret, ſi floſculum contemplaretur, mentem illico ad Deum eleuabat, agnoſcebat, laudabatque bonitatem, ſapientiam, potentiam, & gloriam Conditoris, qui tam admirabili artificio res illas adornâſſet, formam, figuram, colores, odores, virtuteſqué tam præclaras, rebus etiam minimis aſperſiſſet.

Præcipuè ſingulis horis animum ad ſe reuocabat, *c* intentiones, dicta, factaque coram Deo, perfectionis, ſanctitatiſque trutinâ examinabat ac ponderabat, præteritas actiones conſiderabat, futuras ordinabat. Aptari illi potuit verè quod de ſe enunciat Propheta: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Nam mens eius Deo aſſidue erat intenta: ſicut corpora cæleſtia, & aſtra errantia, tametſi varijs agitentur motibus, ſolem tamen ſuum perpetuò intuentur, atque qua parte illi obuertuntur, radijs eius illuſtrantur.

Ad quàm excelſum denique amoris Diuini gradum per eiuſmodi orandi, mentemque exercendi conſuetudinem Vir ſanctus fuerit euectus, liquidò demonſtrat ea, de qua ſupra memini, commentarij eius particula, quæ neſcio quo caſu, aut Dei potius

c *Ribad. lib*. 5. *c*. 1.

potius peculiari prouidentiâ, incendium, quod reliquis ipſemet ſuis intulerat ſcriptis, euaſit. In eâ ſenſus quos quatuor dumtaxat menſium ſpatio de rebus Diuinis fuerat expertus, recenſentur.

Vnde quantis, & quam eximijs Dei donis, mens eius fuerit ſpatio triginta quinq́ue annorum, quibus ſanctitati operam dedit, locupletata, facile eſt coniectare. Et quamuis res illæ ſublimiſſimè vim intelligentiæ noſtræ ſubinde fugiant, libuit tamen aliquid ex illis hic ſubiungere, ad verbum pęne ex Italico latine conuerſum. Hunc igitur in modum, manu S. P. Ignatij hiſpanicè exſtant deſcriptæ. *d*

Multum diuerſæ mihi videbantur illius diei lacrymæ, ab ijs quas profuderam antè: eo quod lentè, internè, ſuauiterq́ue ſine ſtrepitu, motuq́ue grandiori profluerent; atq́ue ita ex imis prodirent præcordijs, vt verba quibus eas exprimerem, non inuenirem. Sermo quoq́ue tam internus quam externus omnis in me ad Diuinum incitabat amorem, & hoc cum harmoniâ quadâm internâ ſermonis cuiuſdam mihi à Deo conceſſi, quem nequeo declarare.

Poſtridie in Miſſæ Sacrificio multæ lacrymæ ſicut pridie: & poſt illud ſimiliter.

Simul

d *Bartolus lib.4. n. 20.*

Simul ſumma lætitia ex interno illo ſermone, qui mihi ſimilis ſermoni, aut Muſicæ cælelti videbatur. Augebatur in me deuotionis ſenſus & affectus cum lacrymis, dum mihi veniret in mentem, me modo quodam diuino cognoſcere & intelligere. Quin etiam die ſequenti abundantia lacrymarum magna, & ſermo internus quidam admirabilis.

Cum ſanctiſſimam orarem Virginem, vt mihi apud Filium ſuum, & apud Patrem eſſet præſidio: deinde vero etiam Filium, vt ſimul cum Matre apud Patrem Diuinum pro me intercederet. Senſi me attolli vſque ad Patris conſpectum, comamque mihi erigi, & totum corpus maximo quodam commoueri ardore, poſt quæ ſecutæ ſunt lacrymæ ac vehementiſſima deuotio.

Orationem aggreſſus ſum, cum ingenti copia & profuſione lacrymarum; cum deuotione intensâ, frequentibus illuſtrationibus & cognitionibus Sanctiſſimæ Trinitatis. Et has quidem ſimileſque illuſtrationes tam frequentes, & ſuaues ſenſi, vt nec memoriam, neque intellectum inuenirem qui ad eas ſufficeret explicandas.

Tantam expertus ſum ſuperabundantiam illuſtrationum, viſitationum, ac guſtuum

ſtuum ſpiritualium, cum tam continuis lacrymis, ac loquelæ interclufione, vt quoties Deum vel Dominum nominarem, omnia mea præcordia viderentur penetrari, cum obſequio quodam, & humilitate reuerentiali admirabili, quæ non videtur vllâ ratione explicari poſſe.

Poſt Orationem noui, inſolitique motus interni, ſingultus & lacrymæ. Omnes ex amore I E S V. Dicebam, deſiderabamque mori potius cum illo, quam cum quocumque alio viuere.

Dum ad Miſſæ Sacrificium me pararem, atque menti meæ I E S V S occurreret, ſenſi me ad eius imitationem incitari, atque in animo meo iudicaui potentiorem omni ratione humanâ eſſe hanc, quod ipſe ſit Caput Societatis, vt ſummam amplectendam paupertatem decernerem. Occurrebat tunc animo meo illud tempus cum me Pater Filio ſuo tradidit. Atque cùm intelligerem magis, magiſque imprimi mihi atque in me nomen IESV confirmari, noua mihi oboriebatur copia ſingultuum & lacrymarum. Dum alloquerer Diuinam Majeſtatem, in effuſum ſolutus ſum fletum, atque tanto ſum accenſus amore, vt ipſius amori modo quodam exceſſiuo viderer coniungi. Neque aliàs vnquam tam præ-

ſtantem

ſtantem & raram illuſtrationem, cum amore tam claro dulcique me recordor habuiſſe. Poſtmodum in Sacello nouæ quoque lacrymæ & noua deuotio quæ in ſanctiſſimam ferebatur Trinitatem, & cum altari deinde adſtarem veſtitus, maior lacrymarum ſingultuumque amoriſque vehementiſſimi copia, quæ omnia ad ſanctiſſimam ferebantur Trinitatem.

Cum poſtea Miſſam celebrarem, tanta fuit deuotio & lacrymæ, vt in progreſſu dubium mihi oboriretur, an non alter oculus, niſi ceſſarent lacrymæ, ob magnum ex ijs creatum dolorem, eſſet interiturus. Ad hæc verba: *Placeat tibi Sancta Trinitas*, amor admodum vehemens in me concitatus fuit atque inundatio quædam copioſarum lacrymarum.

Atque hæc & omnes viſitationes ad ſanctiſſimam tendebant Trinitatem quæ me dirigebat, atque ad ſui trahebat amorem. Finito Sacrificio, cum poſitis veſtibus ſacris apud Altare orarem, noui ſingultus, & lacrymarum profuſio, eaque tota ex amore Sanctiſſimæ Trinitatis, tanta vero erat amoris iſtius ſuauitas ſpiritualis, vt diuelli inde non poſſem. Poſtea etiam reliquo die tam domi, quàm in Vrbe renouabantur acres amoris impetus, motuſque ad fletum,

dum

dum recordarer Beatiſſimæ Trinitatis.

Cum alloquerer Spiritum Sanctum, de quo Miſſam eram facturus, cum ijſdem lacrymis, animique ſenſu videbar mihi illum intueri atque in claritate quadam expreſſa, & in colore flammæ igneæ percipere modo inſolito.

Dum ad Sacrificium me diſponerem, & deinceps & cum veſte ſacra indutus celebrarem, valde magnos animi motus ſum expertus, cum multis ijſque valde vehementibus lacrymis & ſingultibus, ita vt ſæpe me loquendi facultas deficeret. Vidi deinde, clareque cognoui Dominam noſtram mihi apud Patrem admodum propitiam. Ita vt in Orationibus ad Patrem & Filium, & dum conſecrarem, non poſſem non percipere, & videre qua ratione illa eſſet pars, ſiue porta gratiæ ampliſſima, quam ego animo ſentiebam. Cùm in conſecratione mihi demonſtraret carnem ſuam in carne filij ſui contineri, idque tantis cum illuſtrationibus vt deſcribi non poſſint. Atque hæc pauca delibâſſe ſufficiat.

Cùm igitur S. Pater tantum ex Oratione amoris Diuini in ſe ſentiret incendium, atque tam eximium ad alios regendos adiumentum; legibus, conſtitutionibuſq; ſuis Superiores Societatis, iuſſit Orationis exer-

citio operam aſſidue impendere. Quocirca præſcribit vt Præpoſitus Generalis. *e Sit cum Deo, ac Domino noſtro quam maximè coniunctus, & familiaris tam in Oratione quam in omnibus ſuis actionibus*, eandemque orandi aſſiduitatem etiam in alijs inferioribus Præſidibus requirit; itaque alibi. *f Rectoris*, inquit, *Officium erit, in primis Oratione ac ſanctis deſiderijs, totum Collegium velut humeris ſuſtinere.*

SECTIO TERTIA.

Cur Oratio ad Amorem diuinum acquirendum iuuet.

PRæclarè hac de re ratiocinatur Doctor Angelicus, *a qui amorem aſſerit fundari ſuper aliquam communicationem.* Amor quippe, ſicut amicitia, non poteſt, niſi ex rei amatæ notitia procreari; notitia verò illa communicationem quandam cum amico, & conſuetudinem requirit. Beneuolentiam quidem aliquam, vel leui ex cauſa oriri viri ſapientes fatentur, *b* vt cum pugiles inter ſe certantes ſpectamus, alterum

e *P*.9. *c*. 2. §. 1. f *P*. 4. *c*. 10. §. 5. a 2. 2. *q*. 23. *a*. 1. *in c*. b *S. Tho. ex Ariſtotelis ſententia* 2. 2. *q*. 27. *a*. 2. *in c*.

alterum illorum vincere vellemus, idque leuem interdum ob cauſam; ob ſpeciem, ob corporis aliquem motum, gratamue actionem.

At amorem non ita ſubito naſci aſſerunt, ſed ex diuturna, & aſſidua rei amatæ conſideratione, vnde diſertè idem Doctor: *Paſſio*, inquit, *amoris hoc habet, quod non ſubito exoritur, ſed per aliquam aſſiduam inſpectionem rei amatæ.*

Addit deinde amorem eſſe ex quadam conſuetudine. Et ita quidem de amore humano, & naturali ſentiendum eſt, ſed ſimiliter quoque de Diuino oportet philoſophari.

Sicut vero Dei amor ſine eiuſmodi familiaritate, & conſuetudine oriri non poteſt, ita neque ſine illa conſeruari, & multo minus augeri. Et quidem circuitum quendam, ſiue vt loquuntur circulationem hîc inueniri obſeruârunt, *c* è cognitione enim Dei, amor eius exoritur; ſed viciſſim ex illo amore deſiderium magis magiſque Deum cognoſcendi; ex quo fit vt qui amore illo Diuino afflatus eſt, non poſſit ſibi temperare, quin diu, multumque cum dilecto verſetur; ipſum in corde, in ore, in oculis quantum poteſt perpetuo gerat,

c *Dion. c. 3. de Diuin. no.*

gerat, cum eo aſſidue ſermocinetur. Hoc vero fit per Orationem, per quam mens humana ad Deum aſcendit, ipſius ineffabiles perfectiones cognoſcit, & vt Dionyſius loco citato dixit, *ſe tradit, & vnit*, & viciſſim ab illo lumine diuino illuſtratur, ac varijs chariſmatis charitatis, ſapientię, fiduciæ & ſimilibus exornatur.

Eiuſdem ſententiæ fuiſſe S. Petrum Apoſtolum, ſummum illum, primumque poſt Chriſtum Paſtorem, tradit S. Clemens eius diſcipulus & peregrinationis comes, dum refert eum dicere ſolitum; amari Deum non poſſe, niſi ab ijs qui immenſam eius intelligunt Sapientiam; huius autem notitiam ab illis dumtaxat acquiri, qui digno Deum proſequuntur cultu, atque cum eo per Orationem perpetuò verſantur, ita vt ſummum exiſtiment detrimentum, ſi vel momento temporis de eo non cogitent.

Neque hoc docuiſſe ſolum Apoſtolum, ſed & feciſſe idem teſtis eſt auctor. *e* Ait manè illum pręueniſſe plerumque ſociorum & diſcipulorum ſuorum omnium vigilias, & ante diluculum vel in horto; vel in loco quopiam alio à turbis remoto res diuinas contemplatum.

Narrâſſe

e *Lib.* 5. *&* 6.

Narrâſſe illum ſibi familiariter aliquando *f* ſe à media nocte vſque ad auroram ſolitum dicta, factaque Domini, ac Magiſtri ſui meditari, animoque reuoluere, & hoc cum incredibili quadam mentis ſuæ dulcedine. Atque hac ratione ſe perpetuo eorum recordari omnium, vt ad aliorum vſum eadem proferre poſſet.

Orationi igitur, & aſſiduæ cum Deo communicationi, felix quem ſupremus iſte Paſtor in grege ſuo regendo habuit ſucceſſus, adſcribendus; nimirum per illam ſupra mortalium curas, & rerum humanarum caſus eleuabatur, illuſtrabatur, & quid agendum foret docebatur. *Spiritus Dei eſt,* inquit Gregorius, *occultâ vi ea quæ agenda ſunt intimare, & cor hominis ignarum, peritum repente de abſconditis reddere.*

Ex eodem Orationis fonte S. Paulus amorem quem vbique prodit ardentiſſimum, & inuictum hauſit; inde quid ſibi in ouium Chriſti regimine agendum foret, perpetuo didicit. Conuerſatio eius erat vt loquitur in cælis *g* & vt Theſſalonicenſibus *h* ſcripſit: *Ante Deum noſtrum nocte & die abundantius orabat.*

f *Lib.* 2. g *Phil. c.* 3. *v.* 20. h 1. *Theſſal. c.* 3. *v.* 9.

CAPVT TERTIVM.

Summo charitatis amore ſuos Superior proſequatur.

SI veram erga Deum charitatem mente ſua Superior conceperit, etiam proximum, Dei nimirum filium ſibi commiſſum, ardenter diliget, vti pòſt pluribus exponetur. Sed prius conſideremus quomodo Chriſtus ſuos dilexerit diſcipulos.

SECTIO PRIMA.

Quantopere Chriſtus ſuos dilexerit.

EXtremum Chriſti erga diſcipulos ſuos fuiſſe amorem Ioannes teſtatum reliquit: *Cum dilexiſſet ſuos,* inquit, *a qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Non modo vſque ad vitæ finem, ſed etiam ad extremum vſque gradum. Et ſi Euangelicam Hiſtoriam conſiderare attentè libeat, obſeruabimus Dominum paſſim corde, ore, ac opere diſcipulos ſummopere dilexiſſe.

In

a C. 13. v. 1.

In primis ipſemet amorem quo ipſos diligebat, comparauit cum eo quo à Patre ſuo cæleſti fuerat dilectus; *Sicut*, inquit, *b dilexit me Pater, & ego dilexi vos:* Nimirum ſicut à Patre quo ad humanitatem dilectus, & maximis donis, & gratijs ornatus, atque vt eſſem Dei Filius & mundi Seruator, fui electus; ita & vos ego elegi, ad Apoſtolatum euexi, & maximis exornaui donis, vt per vos multorum operer ſalutem.

Præterea diſcipulos, quod proprium eſt amantium, velut alteros ſe exiſtimauit, & bonum, malumue ipſis præſtitum, ſibi exhibitum duxit. Vnde illa verba: *c qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit. Qui recipit vos me recipit. Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Diſcipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Tantillum obſequium ſuis præſtitum diſcipulis, velut ſibi factum æſtimauit, & præmio æterno compenſandum promiſit. *Et quidem frigidæ dixit*, ait Auguſtinus, *d ne fortè ſe poſſet aliquis pauper de lignorum penuria excuſare:* Vt hac ratione ſuos omnium omninò etiam pau-

b *Ioan.* 15. *v.* 9. c *Matt.* 10. *v.* 40. & 41.
d *Serm.*62. *de Temp.*

pauperum beneficentiæ commendaret.

Alibi palam profeſſus eſt & probauit amicitiâ verâ & ſolidâ ſe erga illos affici quando dixit : *e Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus, neſcit quid faciat Dominus eius : Vos autem dixi amicos, quia omnia quacumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quæcunque nimirum arcana accepi à Patre meo, tanquam eius Legatus in hunc mundum miſſus, ea vobis declaraui. Quantum videlicet capere modo poteſtis, nam reliqua docebit Paraclitus quem mittam, vt iam dubitare non poſſitis, vos tametſi naturâ ſeruos meos, à me tamen habitos velut dilectiſſimos amicos. Amicorum enim, & veræ amicitiæ eſt, nihil celare amicum, quia amicorum omnia ſunt communia, etiam cordis intima, & arcana.

Cum vero in amicitia perinde, ac in alijs virtutibus gradus quidam exiſtant, & alia arctior ſit aliâ amicitiâ. Fratrum verò ob ſanguinis coniunctionem arctiſſima eſſe ſoleat, talem quoque Dominus inter ſe, diſcipuloſque ſuos fuiſſe declarauit : Neque tunc ſolum, cum mortalem cum illis vitam ageret, verum etiam poſtquam deuicta morte reſurrexit & glorioſam eſt vitam auſpi-

e *Ioan.* 15. *v.* 15.

auſpicatus, non fuit confuſus vti Apoſtolus loquitur, *f* Diſcipulos ſuos fratrum nomine compellare. *Ite*, dicebat mulieribus, *g nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Et Magdalenæ. *h Vade ad fratres meos, & dic eis aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum.* Sciebat ſe Deum eorum, ac Dominum eſſe, & quidem iam glorioſum, & altioris longè dignitatis, & tamen eos tanquam Filios Patris ſui cæleſtis, ſuoſque idcircò certâ quâdam ratione Fratres & compellari voluit, & dilexit, vt ex hac dulciſſima fratris appellatione, ſummum ſuum diſcipulis amorem manifeſtaret.

Eumdem amorem opere, tempore difficillimo & periculoſo demonſtrauit: acerbâ nimirum illâ hora qua hoſtibus ſuis in horto ſe comprehendendum tradidit. Tum enim verò ſceleratorum miniſtrorum, & ſatellitum obrutus manu, cum illi facibus, fuſtibus, & armis terrorem vndique incuterent, velut immemor ſui, memor ſolum ſuorum, & de amicis ac fratribus tantum ſollicitus; *Dixi*, inquit, *i vobis quia ego ſum: ſi ergo me quæritis ſinite hos abire.* Hoſtium infenſorum arbitrio ſe reliquit,

f *Hebr.* 2. *v.* 11. g *Matt.* 28. *v.* 18. h *Io.* 20. *v.* 17. i *Io.* 18. *v.* 8.

quit, at caros Diſcipulos eorum furori eripuit. Bonus Paſtor vt lupum vidit venientem, non fugit, ſed animam poſuit ſuam, oues ſeruauit.

Non hic ſubſtitit amor Chriſti, verum altius progreſſus materna etiam erga ſuos diſcipulos viſcera induit, eoſque non modò filios, ſed velut tenellos adhuc, & qui tenerius amari ſolent infantes, Filiolos ſuauiſſimo amoris ſenſu non ſemel compellare eſt dignatus. *k* Et hoc quidem eo tempore, cùm ex hac vita ad Patrem mox eſſet abiturus. Tum vltimum eis Vale dicens: *Filioli,* inquit, *l adhuc modicum vobiſcum ſum.* Deinde verò vti ſolent Matres diſcedentes non ſolum amplecti, & exoſculari filios, tanquam ſua viſcera; ſed etiam ſolari, atque ne affligantur ob ipſarum abſentiam immoderatius, promittere breui ſe redituras, eoſque aſſumpturas: ita Dominus paulo pòſt ſubiecit. *m Non turbetur cor veſtrum quia vado parare vobis locum, & ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Quin immo Amorem maternum erga diſcipulos longo interuallo dulciſſimus Dominus

k *Mar*.10. *v*.24. l *Io*. 13. *v*. 33. m *Io*. 14. *v*. 13.

minus ſuperauit; lacte ſuo Mater filiolum nutrit, ſi tamen eò ſe demittat: (non deſunt enim Matres quæ non ſuis, ſed alienis filios vberibus lactent.) At Dominus corpore ſuo, & ſanguine diſcipulos pauit, cor ſuum in eorum tranſtulit viſcera, & id quidem tum temporis, cùm iam vnus ex illis cum hoſtibus eius, de morte ipſius pactus eſſet: n *cùm Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas*; cùm ſciret omnes ſcandalum paſſuros, fugam pleroſque arrepturos, verbis eius de Reſurrectione fidem non habituros; ſuperauit eminenti ſua benignitate diſcipulorum defectionem, cor ſuum tradidit ei, cuius cor iam diabolus occupauerat, qui, vt Auguſtinus o loquitur: *Venerat ad conuiuium explorator Paſtoris, inſidiator Saluatoris, venditor Redemptoris.* Verum prius præcinxit ſe, aquam in peluim miſit, & cœpit lauare eorum pedes; *paſſurus exitia*, ait idem Auguſtinus, *præmiſit obſequia.* Ita quidem & Matres quandoque filiolos ſuos priuſquam eos lactent, aquâ abluunt & purgant. At Dominus mox etiam ſanguine ſuos erat in Cruce mundaturus: *Quid igitur mirum*, inquit Auguſtinus, *ſi miſit aquam in peluim, vnde lauaret pedes diſci-*

n *Io.*13. *v.*2. o *Tract.* 55. *in Ioannem.*

pulorum, qui in terram ſanguinem fudit, quo immunditiem dilueret peccatorum. Demonſtrauit profectò Dominus exceſſum, & prodigium quoddam amoris, quando tali tempore, tali modo, talibus verbis, corpus ſuum, & ſanguinem Diſcipulis ſuis donauit. De tanto amore quis dignè loquatur.

Auguſtini in ſimili re ſententiam ſequamur. p *Cogitanda ſunt iſta potius, quàm dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.*

SECTIO SECVNDA.

Sancti Ignatij Amor ingens erga ſuos.

IN ardentem Chriſti dilectionem oculos, mentemque S. Ignatius defixiſſe, eiuſque ſpiritum penitus viſus eſt hauſiſſe. Narrant de eo Hiſtorici a quod à primis Patribus, & ſocijs qui illi conuixerunt, traditum poſteris fuit. Eum viſum fuiſſe prorſus ex amore, & dilectione conflatum. Tanto enim ſuos affectu, & beneuolentiâ proſequebatur, tali eos ad ſe venientes vultu excipiebat, tanta ſermonis benignita-
te

p *Tr.* 56. *in Io.* a *Bartolus lib.* 3. *n.* 41.

te alloquebatur, vt intra viſcera ſua complecti illos quodammodo, & recondere velle videretur.

Neque illos tam teneros affectus ſolùm erga præſentes, verum erga abſentes quoque demonſtrabat, illos tanquam Pater communis omnium, velut filios dilectiſſimos amabat. De ijs magnâ cum amoris ſignificatione loquebatur. Eorum aduerſitatibus, periculis, egeſtate, & laboribus magnopere tangebatur. Eorum in Orationibus ſuis memor erat aſſiduè: lacrymas pro illis ante Domini conſpectum fundebat: literis eos ſolabatur: ſalutaria illis monita ſuggerebat.

Id tum patuit maximè cùm Pariſijs Anno M. D. LV. Societas maximam pateretur ab aduerſarijs oppugnationem. Scripſit tunc ad Patres illos Epiſtolam tam conſolatoriam, quàm adhortatoriam, quâ ita eorum animi fuere erecti, vt decreuerint omnes mortem potius oppetere, quam diuinum in animis lucrandis obſequium derelinquere.

Solatus ſimiliter eſt Alfonſum Salmeronem Patauij ob nimios toleratos labores ex morbo decumbentem, qui tantum è literis eius cepit ſolatij, vt mox viribus recuperatis ei reſponderit. Literis ſe illis ſa-

nitatem ſuam debere omnem, quæ alioquin nullo terreno potuerat remedio obtineri; ſe ex illis agnouiſſe amorem eius verè paternum, & quod in corde ſuo ipſum, alioſque filios ſuos deſcriptos geſtaret; Orare ſe Deum vt vires largiri ſibi dignaretur, quibus poſſet tantum eius amorem, quem vt verus Pater teſtabatur, ſuis obſequijs æquare.

Neque vero innoxios, perfectos & ſanctos ſolum ita amabat, verum etiam eos qui aliquando deliquiſſent; illos enim ſi culpam agnoſcerent, emendarentque, ita complectebatur, & amabat ac ſi nunquam peccâſſent: eodem amore illos eodemque vultu, ſermone, & honore proſequebatur, quo alios: neque quid illi fuiſſent, ſed quid eſſent attendebat. Deum hac in re benigniſſimum imitabatur, qui tametſi grauiter fuerit ab homine offenſus, ſi tamen hunc ſeriò pænituerit, delicti in æternum non recordatur amplius; gloriam inſuper interminatam ipſi largitur.

Quin immo, etiam eos qui deliquiſſent, & adhuc non reſipuiſſent, amare non deſinebat. *b* Et hoc aliquando Iacobo Laynio fuit teſtatus. Hic cùm eſſet integerrimæ vitæ, & omnem vel leuiſſimi peccati vmbram,

b *Idem lib.* 4. *n.* 20.

bram, magis quàm mortem horreret, commouebatur nonnunquam vehementius, ſi quas domi obſeruaret diſciplinæ religioſæ tranſgreſſiones, atque de illis apud S. Patrem amplius querebatur. Verum illum Vir ſanctus ſerijs reprehendit verbis, tametſi eo ipſo tempore cum febri luctaretur. Dicebat enim illud tam vehemens alienorum erratorum odium, parere auerſionem quandam animi à delinquentibus, atque ob malum quod tantopere in illis deteſtamur, inclinari nos ad eos deſerendos potius, quàm iuuandos, atque ita impediri bonum, quod ab illis amando poſſet impetrari. Ita igitur, odio habendum peccatum, vt perſonæ nihilominus amentur, atque amore ad Chriſtum reducantur.

Ex illo porro amore non ficto, ſed ſincero & paterno, quo Ignatius in ſuos ferebatur, *c* illud etiam, quod proprium eſt amantium, conſequebatur, vt illos magni omnino æſtimaret; de ijs apud alios ſemper honorificè loqueretur: laudaret quæ in ipſis erant digna laude; nempe quod eſſent viri perfectionis ſtudioſi, quod magnis in virtutis ſtudio paſſibus progrederentur: quod charitate, zelo, prudentiâ præſtarent. Hinc verò duo in eius regimine ma-

c *Id. lib. 3. n. 40.*

ximi momenti exiſtebant.

Primum, quod non facilè de ſuis malum ſuſpicaretur, neque etiam credulas accuſantibus, vel aliorum delicta deferentibus præberet aures. Quod Ludouicus Gonzaluius ſcriptum reliquit; addiditque ne quidem Polanco, homini cæteroquin ſummæ fidei, prudentiæ, & moderationis aliorum errata referenti, S. Patrem fidem continuò adhibuiſſe. Et hoc iuxta S. Bernardi conſilium quod Eugenio Papæ dedit, *d* dum eum admonet declinandum vitium, quod ijs qui Cathedras aſcenderant, inſidiatur quam maximè, *quod eſt*, inquit, *Facilitas credulitatis*, *cuius callidiſſimæ vulpeculæ Magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias*. Hoc S. Ignatius accuratè ſeruauit. Ne tamen diſciplinæ obeſſet, iubebat interdum eos qui res alicuius momenti deferebant, illas ſibi ſcripto tradere, præſertim ſi quem affectu quopiam ad deferendum incitari obſeruâſſet. Quia, vt dicebat, verba è calamo conſideratius, quàm ex ore profluunt, & id quod ſcribitur, videtur, non autem id quod dicitur; deniqùe cùm de omnibus non facilè malum crederet, tum de abſentibus, & procul diſtantibus, qui defendere ſe non poſſunt,

d *Lib* 2. *de conſid.*

ſunt, tardius iudicium, vel ſententiam ferebat. Alterum quod omnes, & ſinguli ſibi perſuadebant ſe præcipuè ipſi caros eſſe, & non poſtremum in eius amicitiâ locum poſſidere. Ita nimirum ſine ſingularis amoris notâ omnes amabat. Quod vt impetraret plenius, ſummopere cauebat, ne facto vllo, vel verbo demonſtraret vnum ſe pluris facere altero, tanquam maiore ſapientiâ, doctrinâ aut virtute præditum. Et cùm Marcellus II. Pontifex Max. duos è Societate peteret, qui in palatio ſuo degerent, ſibiq́ue in cleri reformatione eſſent à conſilijs: neminem deſignare ipſe voluit, ſed eius rei iudicium, multorum conſultationi reliquit.

Ex æquo igitur omnes ſe amare palam opere ac verbis præſeferebat, ideoq́ue amabatur viciſſim ab omnibus mirificè, ita vt nemo vnus repertus fuerit, qui non è cordis intimo eum diligeret, atq́ue doleret ſummopere ſe ab eo ſeparari.

Idem Amor ei ſuaſit, vt magis rogando, quàm imperando ſubditis agenda præſcriberet. Et ſi fortè auctoritate eſſet vtendum, id modo faceret paterno, cum quâdam amoris, ac fiduciæ demonſtratione. Hinc fiebat vt in rebus arduis vel alicuius momenti, ſubinde ad rationes cur ita præſcriberet, red-

dendas ſe demitteret, quæ ſemper non modo è prudentiâ humanâ, ſed charitate quoque & maioris diuinæ gloriæ deſiderio erant depromptæ.

Atque vt ſuauiora eius eſſent ſubiectis imperia, ſummam gerebat curam, vt officia iniuncta cum eorum naturâ, & propenſione conſentirent, & quantum fieri poſſet, non tantum cuiuſque facultatem, quàm talentum vocamus, attingeret, verum etiam vt cuiuſque votis, & deſiderijs ſe accomodaret. Ratus ea demum conſtanter & perfectè fieri, ad quæ homo non trahitur, ſed naturæ inclinatione ducitur. Quocirca priuſquam officium alicui committeret, ſolebat ei proponere in conſpectu Dei conſiderandum. Primò an ad obediendum quidquid ipſi demum iniungeretur, eſſet paratus? Secundò, an ad vnum potius, quàm ad aliud officium ſe ſentiret propenſum? Tertiò, ſi hoc, illudue miniſterium particulare, hoc, vel alio loco ipſi offerretur, vtrum ex ijs ſibi deligendum putaret?

Quod ſi quempiam ita ab omni liberum affectu & propenſione deprehenderet, vt ad nihil, niſi ad obediendum ſe inclinari profiteretur, illum enimvero, vt hominem ſecundum cor ſuum ſummâ proſequebatur

quebatur beneuolentiâ, & tales Manarçum, & Natalem, alioſque fuiſſe proditum eſt. Summam hanc erga ſubditos benignitatem, & manſuetudinem Sanctus Fundator, non modò exhibuit opere, ſed etiam Conſtitutionibus ſuis, iuſſit ab omnibus Superioribus exerceri. Itaque tam ipſe quàm primi eius ſocij hoc ad naturam Inſtituti noſtri & eſſentiam quodammodo pertinere ſunt arbitrati, quando in prima formulâ, ſiue Regula *e* Sanctæ Sedi oblatâ. *Præpoſitum in ſua prælatione benignitatis ac manſuetudinis, charitatiſq; Chriſti & Apoſtolorum ſemper memorem eſſe, voluerunt*. Quam rem S. Ignatius deinde in Conſtitutionibus explicatiùs perſecutus eſt *f* & in Præpoſito Generali ante omnes virtutes *ſplendorem charitatis maximum erga Societatem requirit, tum eam benignitatem, & manſuetudinem quâ filijs ſuis compati nouerit*: tantum denique amorem vt paratiſſimus ſit ad mortem pro Societatis bono in obſequium IESV CHRISTI Dei, ac Domini noſtri ſubeundam.

Quam quidem amoris excellentiam, non in Prępoſito Generali ſolùm, ſed in ijs quoque qui loco eius præſunt Prouincijs, Domibus & Collegijs requiri, Regulæ

e *In Bullis Pauli* 3. *& Iulij* 3. f *P.*9. *c.*2.

ſingulorum perſpicuè loquuntur. *g* Prouincialis præpoſitus *iubetur imitari charitatem, & manſuetudinem & gubernationem Chriſti, Domini noſtri.* Item *h perpetuò dilectionem, & curam ſuorum præſeferendo, ijs amabilem ſe reddere*; Alij Præpoſiti, & Rectores *crebro & magna charitatis ſignificatione alloqui ſubditos, i eorumq; neceſſitatibus paterno affectu proſpicere.*

SECTIO TERTIA.

Ratio SS. Apoſtolorum, & Patrum auctoritate confirmata, hoc ipſum docet.

TEnerrimo igitur Charitatis amore à Paſtoribus oues ipſis à Chriſto commiſſas diligendas, illuſtria quæ attulimus docent exempla; ſed & ratio & auctoritas Sanctorum idem expoſcit.

In primis qui Deum amat, proximum quoque amet neceſſe eſt. Nam vt Doctor Angelicus *a* ratiocinatur: Amor Dei eſt veluti finis; amor autem proximi, ſicut id quod eſt ad finem.

Præterea ſicut ſe habet principium in ſpecula

g *Reg.* 3. h *Reg.* 4. i *Reg.* 26. *Præp. Reg.* 25. *Rect.* a 2. 2. *q.* 44. *a.* 1. & 2.

ſpeculatiuis, ita ſe habet finis in operabilibus: vnde ſicut qui aſſentitur principijs, etiam aſſentitur concluſioni; ita qui finem vult, etiam vult media ad illum requiſita. Quocirco ſi quis Deum diligat, neceſſariò etiam diliget proximum. Hæc S. Thomas: quod alijs verbis docuit etiam S. Auguſtinus, *b* dum aſſeruit, *in proximo non diligi, niſi Deum.*

Hęc vero Magnorum illorum Doctorum ſententia in ea, quam præ manibus habemus materiâ maximè locum habet: Deus enim animas quas Superioribus Vicarijs ſuis, committit, profitetur peculiariter eſſe ſuas; atque ab illis curari eas vult tanquam rem ſuam, ſibique maximopere caram & dilectam. Idcirco primo Paſtori, non ſemel ſed tertio dixit. *Paſce agnos, paſce Oues meas. Oues meas*, inquit Auguſtinus *c ſicut meas paſce, non ſicut tuas.* Et paulo pòſt. *Qui hoc animo paſcunt Oues Chriſti, vt ſuas velint eſſe non Chriſti, ſe conuincuntur amare, non Chriſtum.* Itaque qui Deum diligit, & id quod Dei eſt neceſſariò diliget. Neque quicquam ſibi propinquius eſſe, & magis proximum agnoſcet, quam Oues Chriſti.

Cur

b *Lib.*1. *de Doctr. Chriſtiana.* c *Tract.*123. *in Ioan.*

Cur autem Superior ſubiectos ſibi à Deo creditos, ardenter, & non paterno ſolum ſed materno etiam amore diligat, plures faciè inueniet rationes. Nempe quia, vt diximus, Dei ſunt. Quia eius filij, fide & charitate ipſi maximè coniuncti. Quia ſanguine Chriſti redempti. Quia, ſi Religioſi ſunt, omnia quæ in terris habebant pro Chriſto reliquerunt. Quia non habent iam Patrem alium, Matremque aliam, quam ipſum ſuum Prælatum. Quia à mundo & prophanis hominibus contemptum, odium, oppugnationes, non raró patiuntur. Quia à Chriſto vocati. Quia à Chriſto miſſi, vt ad ſalutem animarum promouendam labores ſubeant, fatigentur, à voluptatibus huius vitæ abſtineant. Tales profectò, & maximo Superiorum ſuorum amore digni ſunt, & ſi eo carerent, cùm nullum aliud habeant perfugium, eſſent mortalium omnium in hac vitâ miſerrimi.

Paterno igitur, Maternoque affectu ſuos Superior proſequatur. Abſit omnis dominandi, ſeueriuſque imperandi ſpecies. Nota eſt ſapiens S. Bernardi adhortatio. d *Audiant Prælati: Erudimini qui iudicatis terram, diſcite ſubditorum Matres vos eſſe debere*

d *Serm.* 23. *in Cant.*

debere non dominos. Studete magis amari, quàm metui. Manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant. Quid iugum veſtrum ſuper eos aggrauatis, quorum potius onera portare debetis?

Porrò cum omnes Reſpublicæ amore feliciſſimè regantur, tum hoc in Religioſis Ordinibus ob rationes allatas eſt in primis neceſſarium. In Societate verò IESV quàm maximè, ob particulares quaſdam illius Inſtituti qualitates. Eas probè perſpexerat Sanctus Franciſcus Xauerius, qui in Epiſtolâ quâdam. ee *Societas IESV*, inquit, *non eſt aliud quàm Societas amoris & concordiæ, à quâ acerbitas ac timor ſeruilis longiſſimè abhorret.*

Equidem ijs qui mundi caſtra, & libertatem ſectantur, non eſt adeo graue Dominum pati. Extra Principis aut heri domum ſua tecta poſſident, vbi ſuo viuunt arbitratu: at Religioſis duriſſimum eſſet ſemper ſub eodem tecto, & in eodem contubernio Domini imperijs ſubeſſe. Et quidem Deus olim etiam per Prophetam minatus fuit auſteris illis Paſtoribus. e *Væ*, inquit,

ee *Lib. 2. Ep. 9. P. Ignatio Præp. Generali.*
e *Ezech. c.34. v. 2.4.*

inquit, *Paſtoribus Iſraël.* Et infrà cauſam inter alias, hanc reddidit: *quia cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentiâ.*

E contrario Moyſen, iubet Dominus maternum erga ſubiectos induere animum. *f Porta eos,* inquit, *in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum ſuum.*

Atque hanc ſuauiſſimam diuinæ Sapientiæ doctrinam, S. Paulus quem Gregorius magnum vocat regendi artificem præclarè aſſecutus fuit, qui erga Diſcipulos & ſubditos ſuos, paternum maternumque affectum demonſtrabat. *g* Theſſalonicenſibus certè poſtquam expoſuit ſinceritatem, & integritatem, quâ cum ipſis egerat, vt qui nec honorem exegiſſet, nec ſumptus quos ad eum ſuſtentandum ipſos par erat ſubminiſtrare; ſubiungit, ad magnam, quin etiam deſcendiſſe ſe modeſtiam & ſuauitatem, atque ſe cum illis egiſſe ad inſtar Matris vel Nutricis, quæ paruulos fouet lenitate & blanditijs. *Cum poſſemus,* inquit, *vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli, ſed facti ſumus paruuli h* (Græcè blandi) *tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Neque verò ſolum lacte doctrinæ Euangelicæ eos ſe pauiſſe indicat, verùm etiam cum eodem optâſſe animam & cor ſuum illis largiri;

f *Num.* 11. *v.* 12. g 1. *Theſſ. c.* 2. *v.* 7. h ἤπιοι.

giri; *Cupidè*, inquit, *volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras*, *quoniam i chariſſimi nobis facti eſtis.*

Simili amore Galatas proſecutus eſt Apoſtolus, quos ad inſtar Matris amantiſſimæ ita compellat. *k Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* In quæ verba Chryſoſtomus; *Vides*, inquit, *paterna imò & materna viſcera.*

Eodem benigniſſimo Spiritu alios quoque Apoſtolos fuiſſe repletos, nemini dubium eſſe poteſt: quod in S. Ioannis epiſtolis maximè eſt obſeruare, quæ vbique ſpirant dilectionem, eamque tenerrimam, nam paſſim *l* ſuos ſuauiſſimâ voce filiolos vocat, vt hac maternâ voce eos ad omnem virtutem alliceret.

Quod verò ijs commendauit dum dixit *m Filioli mei non diligamus verbo neque linguâ, ſed opere, & veritate*; hoc ipſe facto, tum aliàs ſemper, tum præſertim in reducendo perdito quodam Diſcipulo ſuo præclariſſimè comprobauit. Refert Euſebius *n* ex Clemente Alexandrino, à Ioanne commendatum cuidam Epiſcopo fuiſſe

Diſci-

i ἀγαπητοὶ. k *Gal.4. v. 19.* l *Ep. 1. c. 2. 3.4.* m *Ep.1. c. 3. v.18.* n *Lib. 3. Hiſt. c. 23.*

Diſcipulum ſuum adoleſcentem, hunc ſeductum, poſtea latronum principem fuiſſe factum. Quo intellecto Apoſtolum ingemuiſſe vehementer, equum ducemque itineris poſtulâſſe, & mox curriculo ad ſyluas, vbi latrones illi latitabant, properâſſe. Eorum ibi ducem, ſuum quondam Diſcipulum quæſiuiſſe, hunc tandem inuentum ingenti ſuffuſum rubore fugam arripuiſſe, ſanctum vero ſenem equo inſecutum clamâſſe: *Quid fugis ô fili Patrem tuum? quid fugis inermem ſenem? hare miſer, noli timere. Ego Chriſto reddam rationem pro te. Certè & mortem pro te libenter excipiam, & pro tuâ animâ, dabo animam meam.* Fugientem ſenex tandem aſſecutus eſt latronem, hic ſtare, vultum, oculoſque demittere, arma projicere, amariſſimè flere, ad optimi Patris genua prolabi. Veniam denique poſtulare, dexteram illam cruore madentem, ſed iam lacrymis pœnitentiæ purgatam, ſenex exoſculatus, hominem erexit, ſecum reduxit, Orationibus, Ieiunijs, adhortationibus verborumque ſuorum lenitate, ad ſanctiorem vitam erudijt atque in omnibus præclarè emendatum, Eccleſiæ poſtmodum præfecit.

Primis denique Eccleſiæ Apoſtolis libet

bet ſubjicere Indiarium nouum Apoſtolum S. Franciſcum Xauerium, à quo ſubditos ardentiſſimo amore dilectos fuiſſe accepimus, idq́ue in eius dictis, factiſq́ue, & præſertim epiſtolis eluxit. Extat vna *o* multorum foliorum, quam ad ſuos è Iaponia, Ciuitate Cangoximâ ſcripſit, anno M. D. IL. Hanc poſt deſcriptum prolixè fidei ſanctæ progreſſum, ita demum concludit: *Sed finem aliquando ſcribendi faciam, quanquam nullus eſſe finis poteſt mei erga vos vel vniuerſos, vel ſingulos amoris declarandi. Ac ſi diuino inter ſe amore diligentium animi oculis cerni poſſent, veſtras fratres effigies vtique expreſſas in animo cerneretis meo.*

Hæc Xauerius, eodem vtique actus Spiritu, quo Gentium Apoſtolus & Doctor Paulus, qui olim ad Corinthios ſuos ſcribebat, *p In cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & conuiuendum.*

CAPVT

o *Lib.* 3. *Ep.* 5. p 2.*Cor. c.*7. *v.* 3.

CAPVT QVARTVM.

Pro animabus ſibi commiſſis Superior Deum oret.

CVm Superior, vt oſtenſum eſt, ardenti ſibi ſubditos amore diligere iubeatur, conſequens eſt, vt ijs à Deo dona quam præſtantiſſima per Orationem aſſiduam poſtulet, tanquam ſuis, immo ipſius Dei filijs dilectiſſimis. Quemadmodum à Viro Sancto Iobo *a* factitatum ſcimus; *Qui conſurgens diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis filijs ſuis.*

Totidem nimirum victimas, vt è Græco diſcimus, quot filios numerabat. Videamus igitur quali nobis hac in re Chriſtus præluxerit exemplo.

S E-

a *Iob.* I. *v.* 5. προσέφερε περὶ αὐτῶν θυσίας κατὰ τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν

Sectio Prima.

Sæpè Chriſtus, & ardenter pro ſuis Patrem orauit.

PRo Apoſtolis ſuis, & Diſcipulis, Dominus Patrem ſuum cœleſtem, oratione frequenti interpellauit. Dubium nullum eſſe debet, quin tum, cùm in monte pernoctauit in Oratione, priuſquam duodecim eligeret Apoſtolos, gratiam auxiliáque futuris illis Eccleſiæ ſuæ Columnis à Patre petiuerit inſtanter. Quod in alijs quoq́ue Orationibus ab ipſo factitatum, declarant ea quæ publicè vel fecit, vel dixit.

Orâſſe illum pro Petro, alijſq́ue Apoſtolis conſtat, quamuis Euangeliſtæ non recenſeant quando id egerit. Nam cùm proximè paſſio, & mors eius inſtaret, & in procinctu eſſet, vt ad hortum abiret, Diſcipulis declarauit, quantas Satan contra ipſos pararet inſidias & oppugnationes. *Simon, Simon*, inquit, b *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum*, nimirum vt illos agitaret, vexaret, à Chriſti amicitiâ, & conſortio ſeiungeret, ſicut pa-leam

b *Luc. 22. v. 31.*

leam à tritico cribrum ſecernit. Verùm furorem hoſtis tartarei Dominus Oratione ſuâ fregit. Nam etſi Diſcipuli timori ad tempus breue ceſſerint, mox tamen ad Chriſtum redierunt, & in eius amicitiâ conſtantes perſeuerârunt. Pro Petro autem peculiariter ſe orâſſe Dominus dixit: *Ego autem*, inquit, *oraui pro te, vt non deficiat fides tua*. Quamuis enim terrore perculſus Petrus, ore Dominum poſtea negauerit; fidem tamen, vt Chryſoſtomus, Auguſtinus alijque Patres cenſent, in mente ſuâ non amiſit.

Manifeſtè deniquc & amantiſſimis vocibus Patrem, pro dilectis ſuis Diſcipulis tunc Dominus orauit, cùm ad hoſtes, & ad captiuitatem, mortemque propius acceſſit; ſuauiſſimam hanc potentemque Orationem Ioannes dilectus ille, & amantiſſimus Diſcipulus refert in hunc mundum.

Poſtquam ſermone prolixo Diſcipulos ſolatus fuiſſet, confirmâſſet, & inſtruxiſſet, concluſit tandem Dominus verba ſua, Oratione ad Deum Patrem ſuum conuersâ. Ad hunc ſublatis in cœlum oculis ardentes fudit preces. c Et petitâ primum tum ipſius Patris, tum ſuâ clarificatione, pro

c *Io*. 17. *v*. 1.

pro dilectiſſimis deindè ſuis Diſcipulis, quibus poſt Patrem nihil habebat carius, ſuppliciter orauit, conquiſitis fortiſſimis omni ex parte rationibus, quibus paternæ eius benignitatis viſcera, tum ad illos protegendos, tum ad ſanctificandos permoueret.

Rogo, inquit, *d pro his quos dediſti mihi*; quaſi dicat: Mi Pater, nihil mihi poſt te, carius eſt quam Diſcipuli mei, quos dediſti mihi: Proinde non iam pro alijs hominibus, ſed pro illis mihi longè cariſſimis te ſupplex oro. Et quidem non pro re alienâ tuam imploro, ô Pater, benignitatem: tui enim illi ſunt, tu eos ab æterno dilexiſti, elegiſti, vocâſti, & ad me adduxiſti. Hoc igitur à te peto, vt rem tuam conſerues ac tuearis. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Verum quidem eſt, ô Pater Sancte, illos à te mihi datos, ſed tu noſti *e mea omnia tua eſſe*, Et ideò illi non deſinunt adhuc eſſe tui, quia mei ſunt, cùm idem habeamus imperium, eamdemque ſubſtantiam. Sunt igitur aquè tui ac mei Filij; paternæ proinde tuæ benignitatis eſt ſingulari eos curâ conſeruare.

Meren-

d *V.* 9. e *V.* 10.

Merentur etiam ipſi, ô Pater, tuum auxilium & gratiam. *Nam clarificatus ſum in eis.* Ipſi agnouerunt, crediderunt, & profeſſi ſunt me eſſe Filium tuum, & omnia mea tua eſſe & tua mea eſſe; atque ita gloriam meam, iuxta ſanctam tuam voluntatem, hominibus manifeſtârunt.

O Pater Sancte oro te, ſerua eos in nomine tuo. f Nunc virtutem ac potentiam tuam illis impende, vt in ſanctitate conſeruentur, ac progrediantur. Nam ego per mortem proximè inſtantem illos deſeram, & ad te redibo: *Iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.* Dum igitur ad te venio, relinquo illos in mundo, in medio hoſtium, velut agnos inter lupos; maximis nempe eorum expoſitos odijs, oppugnationibus, & periculis. Cuſtodi eos Pater Sancte; quia me abſente, non habent ad quem recurrant; aut à quo opem ſperare poſſint niſi à te.

Oro pro ijs, ô Pater, g quia *de mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo.* Mundum enim & omnia quæ in eo poſſidebant reliquerunt propter me; meo exemplo omnia contempſerunt, vt tibi mihique ſeruire poſſent. In re nullâ à te conditâ, habent fiduciam, ſed meæ, tuæque benignitati

f *V.* 11. g *V.* 16.

gnitati totos ſe commiſerunt. *Memento, ô Pater benignitatis tuæ immenſæ, qui pauperi & orphano es adiutor. h*

Oro item pro illis, *i quia ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* Miſiſti me Pater in hunc mundum, vt homines peccatis perditos recuperarem & ſanctificarem. Ob eumdem finem mitto ego hos Diſcipulos meos, vt tamquam Vicarij mei, peccatores ad te reducant, illos ſanctificent gloriamque tuam promoueant.

Ego mitto illos. Ipſi ſe in iſtud munus non ingeſſerunt, neque id propriâ auctoritate vſurpârunt. Par eſt igitur, ô Pater amantiſſime, vt illos in ſingularem tuam curam & protectionem recipias, eoſque tuis perpetuò adiuues auxilijs, atque ad veram ſanctitatem promoueas. *Sanctifica eos in veritate*; verâ enim & eximiâ indigent ſanctitate, ne mundi illecebris capiantur, ne aduerſitatibus proſternantur, ne in laboribus tantis deficiant.

Denique vt hæc omnia titulo iuſtiſſimo poſſis, ô Pater dilectiſſime, ecce ego pro illis mortem oppetam. *k Pro eis ego ſanctifico meipſum* ſanctam me hoſtiam pro illis mox immolabo. Itaque intuitu huius tam grati

h *Pſal.* 10. *v.*14. i *V.* 18. k *V.* 19.

grati tibi ſacrificij, da, *vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate* verè ſanctificentur gratiâ tuâ, vt perfectè tui ſint, neque vllis aduerſis ſuperari ſe patiantur, ſed primùm pro gloriâ tuâ & animarum ſalute, magnos labores, aduerſitates, ærumnas, inuicto ſuſtineant animo: deinde verò mortem pro tuo ſubeant amore, atque ſeipſos meo exemplo hoſtiam placentem, tibi ſanctificent, & immolent.

Talia benigniſſimus IESVS; cùm ad tormenta, cùm ad Crucem, cùm ad mortem progrederetur infamem, nouiſſima coram dilectis ſuis verba protulit. Tam ardenter diſcipulos amauit, & tam ſollicitè pro illis Patrem orauit, vt & Apoſtoli ingentem eius curam & amorem, inde poſſent agnoſcere, & animarum Rectores diſcerent, quanto eos pro ſibi ſubditis ardore Deum oporteat orare.

SECTIO SECVNDA.

Quanto ardore & fructu pro ſuis orauerit Sanctus Ignatius.

E Primis eius ſocijs non nemo graui & periculosâ percellebatur tentatione, a & iam parum ab extremâ pernicie abeſſe vide-

a *Ribad. lib.* 5. *c.* 2.

videbatur. Triduo toto vir ſanctus cibo nullo guſtato, Deum pro illo orauit, atque animam illam dono à Diuina bonitate accepit. Itaque in vocatione ſua ille confirmatus in Societate perſeuerauit.

Petrus vero Ribadeneira, ob res geſtas & ſcriptas atque virtutem eximiam claros inter viros numerandus, vocationem ſuam, quin imò & ſalutem, Orationibus S. Ignatij retulit acceptam. *b* Ipſemet grandæuus, cùm iam vltra quinquaginta annos in Societate vixiſſet, apud Pontificios Delegatos, qui pro Canonizatione Viri Sancti quęſtiones inſtituebant, iuratus quæ ſubiungo depoſuit. Venit ad Sanctum Patrem adoleſcentulus, & pæne puer Petrus, eratque illi ob indolem, & ingenij, quod in eo ſe prodebat, ſpecimen in paucis carus; & quamuis domeſticis pueriles eius diſplicerent mores, à viro tamen Sancto, qui eos magis ętati, quam vitio adſcriberet, tolerabantur. Satan porro tam ſalutis eius, quàm boni quod ab illo expectari poterat, inuidus, vehementiſſimâ puerum ab Inſtituto conatus eſt abſtrahere tentatione. Faſtidium quoddam ingens vitæ illius ſeuerioris primùm, tum auerſionem maxi-

D mam

b *Bartolus lib.* 3. *n.* 44.

mam ab Ignatio, eiuſque familiaritate ipſi ingeſſit, ita vt non modò non audire; ſed nec videre illum æquo poſſet animo. Deprehensâ illâ adoleſcentuli perturbatione Pater, ijs quibus ſolebat paternis affectibus, blanditijſque illi ætati conuenientibus, animum eius componere eſt conatus; ſed fruſtra omnia; augebant potius quàm minuerent quæcunque dicebat, ægritudinem. Quo ſe igitur verteret Pater optimus? ad Deum per Orationem more ſuo, inſtanter recurrit, eiuſque clementiam diu noctuque implorauit, vt hanc ſibi animam donare dignaretur. Impetrauit quod petijt, & hoc ipſum didicit à Deo. Petrum mox ad ſe vocat, dictiſque ei verbis pauculis, ita animum eius, tantopere obduratum, emollit, vt miſellus in lacrymas copioſiſſimas reſolutus, illico ſingultiens dixerit: *Faciam, mi Pater, faciam* Exercitia nimirum ſpiritualia, ad quę adduci antea potuerat nunquam. Tradidit ſe cœleſtibus illis commentationibus, ſimul de tota vitâ confeſſionem apud S. Patrem inſtituit; eâ peractâ paucis eiuſdem verbis, ita confirmatus & mente illuſtratus fuit, vt veluti ſquamis ab eius oculis dilapſis, aliter, res ſalutares omnes ipſi apparerent. Itaque ex eo die, nunquam amplius ſenſit ad deſe-

tendam

rendam ſuam vocationem ſe incitari.

Tyrocinium Societatis recenter ingreſſus fuerat Balduinus ab Angelo origine Leodienſis, Vir poſtmodum in Societate eximius. Is ex memoria, & affectu erga quendam ſuum nepotulum, quem domi reliquerat, tantas in animo ſentiebat, à dæmone vtique ſuſcitatas inquietudines, & mœrores, vt illius ſolius pueri tutandi cauſâ, exiſtimaret nefas ſibi eſſe in eo quem ſuſceperat Ordine, permanere: adeoque ſtatuit illo deſerto, ad priſtinum viuendi genus redire. Atque id feciſſet, niſi apud Deum plus potuiſſent Ignatij preces, quàm apud hominem iſtum dæmonis artes. Primùm igitur morbo illi S. Pater, pro eâ quam de ſuis habebat curâ, remedium adhibere eſt aggreſſus. Sed cùm ſe fruſtra laborare aduerteret, ad Deum confugit, cumque impensè orauit, atque animam illam ſibi dari poſtulauit. Tum Balduino ad ſe vocato, retulit peramicè & familiariter, quid ſimili in euentu ſibi in primo vitæ ſuæ mutatæ exordio accidiſſet, & quâ ratione hoſtis tartarei oppugnationes ſuperâſſet, atque ita peramanter amplexatus hominem, reliquit. Quid verò Balduino factum fuerit, ipſe multis pòſt annis præmiſſo iureiurando eſt teſtatus, in hunc mo-

 dum.

dum. *E veſtigio totum me liqueſieri, & in lacrymas diſſolui, tantamq; in animo ſuauitatem ſpiritus, & cæleſtis cuiuſdam dulcedinis copiam ſenſi, vt omnem propinquorum amorem, in Deum dirigerem &c.*

Erat Romæ in Domo Profeſſâ Io. Baptiſta Coquus. c Vir magnæ mortificationis & humilitatis, qui cùm culinæ laboribus diſtineretur, ex ijs ipſis occaſionem meditandi, & mentem ad Deum eleuandi, arripiebat. Conſiderabat identidem illum apud quem laborabat ignem, iſtum cum tartareo, æternoque igne, quo animę peccatrices torquentur, conferebat. Hinc quantum malum eſſet peccatum, quod tam ineffabili pœnâ puniretur, & deinde quid ſua, ante Religionem ſuſceptam peccata commiſſa mererentur, meditabatur. Ita mentem quadam die hac cogitatione ſibi paſſus eſt abſorberi, vt ad vindicanda ſua illa delicta, ſubito quodam impetu, manum in ardentem iniecerit focum. Nidore percepto tranſiens forte Miniſter, accurrit; videt ambuſtam, ſtillantemque ignis tormento manum, Fratrem verò ob doloris vehementiam eiulantem, atque in genua prolapſum, veniam ob imprudentiam admiſſam, poſtulantem. Ignatio mox narrat

c *Idem lib. 5. n. 86.*

rat quid actum ſit. Non deerant è domeſticis, qui hominem è Societate ablegandum cenſerent, quòd ſponte ſe ad eius obſequia mancum, inutilemq́ue effeciſſet. Verum Vir ſanctus, factum illud alio animo, alijſq́ue aſpexit oculis, & magis gratiâ, quam pœnâ dignum eſt arbitratus. Itaque ad Deum recurrit, cumq́ue nocte, quam vt diximus, ſolebat magna ex parte Orationi impendere, inſtanter precatus eſt, vt homini afflicto ſanitatem largiretur. Eam impetrauit: poſtridie frater ille manum prorſus ſanam vegetamq́ue deprehendit, & in Societate vſq́ue ad mortem laborauit.

Aliàs ſæpius idem Pater optimus, & amantiſſimus *d* vitam ſuorum, ſanitatemq́ue oratione à Deo impetrauit. Iuuat adhuc vnum è multis eius factis, recenſere. Baſſani periculosè decumbebat Simon Rodericius, vnus è decem primis eius ſocijs. Medicus aduocatus, explorato morbo, hominem pro depoſito habuit, & reliquit. Nunciatur id Ignatio. Is cum Petro Fabro Vicetiâ accurrit, idq́ue tantâ celeritate, vt Faber præeuntem aſſequi non poſſet, ſed ſubſiſtere identidem illum oporteret, & hunc expectare. Solus dum ita præcederet

d *Ribad. lib.* 2. *c.* 9.

Ignatius, de itinere parumper digreſſus, in Sacello vicino, Deum pro infirmi ſalute ardenter, & ſuppliciter precatur, & de eâ impetratâ, & ſibi donatâ fit certior. Tum ad Fabrum, qui vultum eius planè accenſum ex orationis, & Diuini amoris igne obſeruauit, conuêrſus, magna cum certitudine affirmauit, Simonem eo morbo nequaquam moriturum. Quod & euenit, & inſuper, ad primam Patris optimi vocem & amplexum, morbus cœpit remittere, ſanitaſque reuerti. Faber hoc Laynio poſt modum narrauit, Rodericius verò vitam ſuam ſe Ignatij precibus debere, quamdiu ſuperſtes fuit, agnouit.

Non fecit ſolùm ea quæ retulimus S. Ignatius, ſed verbo etiam docuit, & Conſtitutionibus ſuis alijſque Legibus eadem præcepit.

Præpoſitum Generalem iubet eſſe cum Deo in oratione familiarem, eique coniunctum, vt ſupra vidimus, e *vt multum valoris, & efficaciæ omnibus illis rationibus quibus ad animarum auxilium vtetur, impetret.*

Quando verò dotes, quæ in Collegij Rectore requiruntur, deſcribit, f illam quoque refert ſicut diximus, vt Collegium

oratione

e *P.*9. *c.*2. §.1. f *P.*4. *c.*10. §.5.

oratione velut humeris ſuſtineat. Et quod Collegij Rectoribus præſcripſit, hoc æquè, atque etiam magis obſeruari voluit à Præpoſitis, tum Prouinciarum, tum Domuum Profeſſarum. *g* Quin immo ſtudium illud orandi, etiam pro ijs qui vel doctrinâ, vel virtute inſtituendi ſunt, à nullo intermitti Vir Sanctus voluit. Quocirca Præceptoribus etiam qui adoleſcentes in ſcholis inſtituunt, *h* omnibus, non modò ijs qui altiores docent facultates, ſed etiam ijs qui literas humaniores, & ipſa prima Grammaticæ rudimenta tradunt, iniunctum eſt, vt Diſcipulos crebris iuuent apud Deum precibus.

Et quidem Sancti Auguſtini video eamdem fuiſſe ſententiam, *i* qui ante doctrinam Deum ardenter orandum præcepit, vt is non tantùm ea, quæ pro animarum ſalute dicenda ſunt, ſed & modum, & ardorem quo dicenda ſunt, ſuggerat. Denique vult, *vt orando pro ſe, ac pro illis, quos eſt allocuturus, ſit Orator antequam Doctor.*

g *Reg* 5. *Prouinc. Reg.* 2. *Præp.* h *Reg.* 3. *Prof. ſuper. fac. Reg.* 10. *Comm. Prof. claſſ. infer.* i *Lib.*4. *de Doctr. Chr.*

SECTIO TERTIA.

Quomodo, & quibus de cauſis pro ſubditis orandum.

RAtio autem cur aſſidua illa pro ſubditis Oratio in Superiore exigatur, minimè obſcura eſt. Nam qui curam animarum gerunt, illas ad finem ſupernaturalem & ſalutem æternam dirigendas, ſuſceperunt. Ad finem porro illum, nequaquam medijs ſolis naturalibus, ſed ſecundum Sancti Thomæ doctrinam; rationibus diuinis, atque gratijs, doniſque, quæ vim naturæ exſuperant, peruenitur. *a* Illa verò à Dei liberali manu deſiderijs, precibus, obſecrationibus, ijſque perpetuis, ac ſine intermiſſione petenda ſunt. Et ita faciendum docuit exemplo ſuo Apoſtolus, qui & pręſtantiſſima dona ſubditis ſuis à Deo poſtulabat, nempe vt implerentur agnitione voluntatis Diuinæ, vt Spiritum Sapientię Diuinę aſſequerentur, vt in Vocatione ſua ſancta proficerent, vt interiorem hominem, ſummamque perfectionem perpetuò curæ haberent; Et hoc agebat aſſiduè, itaque Theſſalonicenſibus ſuis ſcribit, *b ſe*

eorum

a 2.2.*q*.45. *a*.3. *&* 6. b 1.*Theſſ*.1. *v*.2.

eorum memoriam facere in orationibus ſuis, ſine intermiſſione.

Et alibi *c ſe orare ſemper pro illis.* Coloſſenſibus. *d Non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes.* Epheſijs, *e non ceſſo gratias agens pro vobis memoriam veſtri faciens in orationibus meis, vt Deus, Domini noſtri IESV CHRISTI Pater gloriæ, det vobis Spiritum Sapientiæ, &c.*

Quanto verò zelo, & demiſſione pro ipſis ſupplicaret, indicauit poſtea cùm dixit: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari.*

Denique Timotheo, ſignificat *f ſe ſine intermiſſione habere ipſius memoriam in Orationibus, nocte ac die.*

Et S. Gregorius Magnus *g* de eo qui alijs præeſt: *Tanta*, inquit, *charitatis eſſe debet, vt inſtanti deſiderio, non petitor, ſed petitio eſſe ſentiatur.* Item Sanctus Bonauentura, animarum Rectori aſſiduam vult adeſſe deuotionem; *Sicut,* inquit, *h Angeli quocunque mittantur, tamen à Diuinâ contemplatione non recedunt.*

c 2.*Theſſ.*1. *v.*11. d *Coloſ.* 1. *v.*9. e *Eph.*3. *v.*14. f 2.*Timot.* 1. *v.*2. g *Lib.* 5. *in Reg. c.*3. h *De* 6.*Alis.c.*8.*n.*5.

cedunt.

Curant, nimirum, animas boni Angeli, eas ad optima quæque impellunt, mala ab illis propellunt, Oratione à Patre luminum auxilia illis perpetuò impetrant, ab eiuſdem contemplatione ceſſant nunquam.

Præterea notum eſt quot artibus, fraudibus & machinationibus, Satan hominum mentes peruertere, & à ſalute ſuâ, multoque magis à ſtatu perfectionis conetur auocare. Longè illis ardentius, quàm lupus ouili inſidiatur. Quis Paſtor ſufficiens erit, ad tot eius oppugnationes, inſidiaſque ab ouibus ſibi commiſſis auertendas, abſque auxilio Diuino?

Sunt inſuper curanda vitia & errata ſubiectorum. Sicut enim oues à ſcabie, alijſque morbis non rarò infeſtantur, quibus curam adhibere identidem Paſtor tenetur; *ita hominum nemo eſt*, ait idem Gregorius, i *qui ita viuat, vt aliquatenus non delinquat*. Quàm difficile autem ſit vitia aliorum emendare, alibi dicetur. Vt ergo morbis ſuorum mederi poſſit Superior, magno, eoque aſſiduo indiget Diuinæ manus auxilio.

Duo denique ſunt quæ magnam orandi pro ſubiectis, & fiduciam, & facultatem, Prælato

i *Paſt. p.* 2. *c.* 8.

Prælato præbeant. Primum, quòd à Deo ſit eo in officio, hunc ad finem conſtitutus, vt ſubditorum ſalutem & perfectionem curet & promoueat. Eſt autem Diuinæ bonitatis, & prouidentiæ, cùm à quopiam finem aliquem exigit, eidem quoque dare illa, quæ neceſſaria ſunt ad finem. Quocirca non modo Deus ipſi auxilia, quibus ad ſuos curandos, dirigendoſque in viam rectam, indigebit; ſed donum etiam Orationis ſublimius largietur, quo ardenter & efficaciter pro ipſis orare poſſit.

Obſeruauit hoc S. Bonauentura k *quia Prælatus pro alijs debet*, inquit, *ex officio orare; datur ei quandoque propter alios, copioſior orandi gratia, vt quibus prodeſt agendo, poſſit etiam orando prodeſſe. Tantum non negligat quærere.*

Secundum, quòd Prælatus religioſus potentiſſimas habeat rationes, quibus Patris æterni, moueat erga inferiores benignitatem & clementiam. Poteſt enim iiſdem, quibus Chriſtum Ieſum vidimus; motiuis & verbis, Deum interpellare, ac dicere: Pater ſancte aſpice, iuua, à peccatis & tentationibus vindica ac præſerua filios tuos. Tui enim ſunt, Pater ſancte, tu eos elegiſti, vocâſti; mihi vt tuos, non vt meos,

k *C.8. cit. n.* 4.

meos, dediſti & commiſiſti. Per fidem te clarificant. Omnia pro te reliquerunt. In mundo ſunt, vbi ab acerrimis oppugnantur hoſtibus. A te miſſi ſunt, vt animas ad te reducant. Laborant pro gloriâ tuâ. Pro illis ſe Filius tuus in arâ Crucis hoſtiam immolauit. Protector noſter aſpice in faciem Chriſti tui, atque eorum miſerere.

CAPVT QVINTVM.

Superior ſit erga ſuos beneficus.

AMor beneuolentiam erga dilectum generat: beneuolentia, ſi vera, & ſincera eſt, beneficentiam habet ſibi comitem. Nam quod beneuolus intus in animo agitat, hoc, quoties facultas adeſt, opere exequitur, eſtq; erga amicum beneficus. Quomodo iam à Chriſto beneficentia erga Diſcipulos & ſubditos fuerit exhibita, deinceps exponendum.

§ 1.

Sectio Prima.

Chriſtus paternè ſuorum Diſcipulorum neceſſitatibus proſpexit.

PErfectionem ſummam ſuos Chriſtus docuit Diſcipulos, atque etiam ab eis exegit. Nihil tamen illis ad corporis ſuſtentationem neceſſarium voluit deeſſe. Pauperes quidem illos omnino eſſe iuſſit *a & non poſſidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam*: non modò vt à rerum terrenarum omnium affectu liberi, expeditique ad Euangelij prædicationem eſſent; verum etiam, vt à Diuina prouidentiâ & benignitate, perpetuò penderent, & in eâ potius, quàm in re vllâ creatâ fiduciam omnem collocarent. Et tamen, tam paternè illis, qui omnia reliquerant, Paſtor ille diuinus prouidit, vt nihil ſibi vnquam defuiſſe ipſimet faterentur. Quod tunc cognitum eſt, cùm exquiſiuit ex illis paulò ante mortem; *b quando miſi vos ſine ſacculo & perâ, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.*

Præter Apoſtolos duodecim, magnus etiam numerus Diſcipulorum Chriſtum plerum-

a *Matt.*10. *v.*9. b *Luc.*22. *v.*31.

plerumque ſequebatur; nulli tamen eorum quicquam ad victum veſtitumque neceſſarium defuit: quia prouidus ille Pater-familias omnia, quæ deſiderabantur, curabat. Multorum piorum virorum ac mulierum, qui Chriſto adhærebant, liberalitas, non patiebatur illis quicquam deeſſe; loculos geſtabat Iudas, emebat, quæ ſufficerent, non ſolum Domino & Apoſtolis, verùm & quæ pauperibus erogarentur. Tam opulenta erat Chriſti paupertas.

Contigit ſubinde amicis Chriſti æquè ac Diſcipulis quippiam deeſſe: verùm mox etiam miraculo Dominus copiosè proſpexit. Erat in nuptijs cum Matre, & Diſcipulis in Cana Galileæ; *c* eò non edendi, bibendique causâ, vt obſeruat Cyrillus, *d* venit, ſed vt benefaciendi quæreret occaſionem. In conuiuij decurſu, vinum cœpit deficere, & non ſolùm ſponſus pudefieri, ſed etiam Diſcipuli ad aquę potum damnari. Neceſſitati illi Domini beneficentia ſuccurrit, aquam copioſam in hydrijs ſex allatam, in vinum præſtantiſſimum conuertit.

Primum hoc fuit, & initium ſignorum quę fecit IESVS, teſte Ioanne. Sed & vltimum

c *Io.* 2. d *In Catena apud Cord.*

timum quod idem Euangeliſta in ſua narrat hiſtoriâ, eamdem Domini beneficentiam & paternam ſuorum curam, nobis repręſentat. *e* Poſt eius reſurrectionem, piſcabantur in mari Tyberiados, Petrus, idem Ioannes, & alij quinque Apoſtoli, vt penurię nimirum ſuæ, aliquod conquirerent ſubſidium. Nihil moleſto ac diuturno labore ceperant. Adfuit in littore Dominus iuſſitque ad dexteram nauigij rete projici; & mox tantam magnorum piſcium copiam concluſerunt, vt rete ex aquis non valerent extollere, ſed coacti fuerint illud ſub vndis, fundum radendo, educere. *f Quis alius hîc*, ait Auguſtinus, *piſces qui caperentur appoſuit, quàm Dominus?* Neque verò ibi ſtetit eius beneuolentia. Interea dum Diſcipuli in mari piſcando laborarent, ipſe in littore ſuauiſſimâ quadam prouidentiâ, prandium illis, & refectionem apparabat. Nam vt deſcenderunt in terram, viderunt piſcem prunis impoſitum aſſari, panem præterea paratum; & cùm de piſcibus quoque recens captis aliquot igni à Domino accenſo, applicuiſſent, ad prandium ab ipſo ſunt inuitati, quibus & aſſidere, & obſonium piſcium,

e *Io.* 21. f σύροντες τὸ δίκτυον τῶν ἰχθύων.

piſcium, panemque diſtribuere, quamuis glorioſus, non eſt dedignatus; atque ità ineffabilem ſuam benignitatem & beneficentiam, erga eos demonſtrauit.

Euangelium ergo ſuum Ioannes, cùm, vt obſeruat Auguſtinus, *g* haberet de Chriſto alia multa quæ diceret, in hoc prandio concluſit. Voluit, reor Paſtorum Princeps, ſuis Vicarijs beneficentiam illam eſſe magnopere commendatam, atque in illâ ſignorum ſuorum celebrare initium & finem.

Atque hinc iam facile eſt concludere, quid in omni ſuâ vitâ benigniſſimus Dominus egerit: Principio equidem & fini media fuiſſe conſentanea, par eſt credere. Quod Petrus omnium ſpectator, teſtatum reliquit, dum de eo *h* dixit, *quod pertranſijt benefaciendo*, quaſi inceſſanter benefaciens *i* vt græca ſonant, ita vt vita eius, perpetua quædam fuerit beneficentia; hinc illæ eius ſuauiſſimæ voces, *k Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Quæ vtique non ad extraneos tantùm, ſed ad Diſcipulos quoque, & præcipuè quidem dicebantur. Hos enim in laboribus ſolabatur, horum onera

g *Tract.* 123. *in Ioannem.* h *Actuum* 10. *v.* 38. i εὐεργετῶν. k *Matt.* 11. *v.* 28.

onera ſubleuabat, horum dolores mitigabat, verbis factiſque pluſquam paternis.

Hoc Euangeliſtæ paſſim indicant. Refert Marcus *l* conueniſſe Apoſtolos poſt labores, & excurſiones Euangelicas ad Chriſtum, eique recenſuiſſe quæ egiſſent, & docuiſſent: erant haud dubiè fatigati, exhauſtique, & tamen eo in loco ob eorum multitudinem qui veniebant, & redibant, *nec ſpatium manducandi habebant.* Curam igitur ſuorum Optimus Pater geſſit, atque vt eos à laboribus illis Apoſtolicis ſubleuaret, *Venite*, inquit, *ſeorſim in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Et aſcendentes in nauim, abierunt, in deſertum locum ſeorſum.* Ibi igitur Dominus fatigatos refecit, ſudorem ſuorum abſterſit, vires eorum inſtaurauit.

Qui in paruis tantam ſuorum curam geſſit, in maioribus ijs vtique non defuit. Tempeſtatibus, & procellis, atque naufragij periculo, non ſemel eos liberauit. *m* Nonnunquam, cùm iam ipſo dormiente, fluctus nauiculam obruerent, excitatus Dominus, imperauit ventis fluctibuſque vt quieſcerent, neque dilectos ſuos offenderent, & mox paruerunt.

Aliàs

l *Cap.* 6. *v.* 30. m *Matt.* 8. *v.* 23. *Mar.* 4. *v.* 36.

Aliàs *n* cùm Diſcipuli totam fere noctem, cum procellis, fluctibuſque luctarentur, non ſine aliquo periculo, illis benigniſſimus Dominus per calcatos ipſos maris fluctus, ſolatium opemque tulit.

Quamuis verò de diſcipulorum morbis nihil nobis ſcriptum reliquerint Euangeliſtæ, ſi tamen in eos incidiſſent, non dubium eſt quin beneficam eius manum, aliaque ſolatia experti fuiſſent: ab eo nempe, qui in omnium infirmitatibus curandis tam fuit promptus ac propenſus. Nam, vt Lucas *o* narrat: *omnes qui habebant infirmos varijs langoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.* Manus ſuas ſacratas diuinus ille Medicus non dubitauit infirmis, claudis, ſurdis, cæcis, leproſis, alijſque morbis, vel fœdis, vel contagioſis admouere, vt in omnes beneficentiam explicaret.

Sectio Secunda.

Eximia S. Ignatij in ſuos beneficentia.

EXimiam ille quoque curam adhibuit, vt Dei Filijs ſibi commiſſis, nihil ad vitæ,

n *Matt.* 14. *v.* 24. *o* *Cap.* 4. *v.* 40.

vitæ, valetudiniſque conſeruationem neceſſarium, deeſſet.

Erat ſub annum M. D. LV. Romæ magna annonæ caritas, a ob belli inter Pontificem & Regem Catholicum apparatum. Degebant in Collegio Romano homines plerumque centum quinquaginta, interdum fere ducenti; in tantâ tamen temporum iniquitate, tantâque Collegij inopiâ, cui vix vllum erat annuum vectigal, nihil vnquam deeſſe ſuis Ignatius eſt paſſus. Perinde familiæ ſuæ conſulebat, ac ſi plenas omnes arcas, ac refertas haberet apothecas.

Quin imò ſub idem tempus, villam in Vrbe ad Thermas Antonini, non procul ab æde S. Balbinæ, aggreſſus eſt ædificare, vt haberent ægri locum idoneum & apricum, quò ſe ad vires reſtaurandas reciperent: & vbi Iuuentus Collegij, labori ſtudiorum intenta, animos interdum relaxaret. Quòd animaduertiſſet benigniſſimus Pater, nonnullos præclaros adoleſcentes, & ſumma ingenij doctrinæque ſpe præditos, laborum magnitudine debilitatos, præmaturè extinctos fuiſſe. Et cùm nonnulli ob pecuniæ inopiam, viuendi tum quidem tempus, non

a *Orland. lib.* 15. *n.* 6.

non autem ædificandi eſſe dictitarent, *b* Vir ſanctus tamen à ſententia dimoueri ſe non eſt paſſus; pluris ſibi eſſe aſſerens, quàm omne aurum, & omnes totius mundi theſauros, vnius Fratris ſanitatem.

Neque verò ſuccurrebat ſolùm ſummâ diligentiâ ſuorum neceſſitatibus, ſed eas prę̨ueniebat etiam, atque ne memoriâ exciderent, ſtudiosè in chartâ annotabat. *c* Et cùm ob negotiorum, quibus diſtinebatur, multitudinem, alia alijs mandaret dirigenda, ſuorum tamen neceſſitatibus proſpiciendi, curam ſibi ipſe ſeruabat, atque Miniſtros quomodo illis ſubleuandis intenderent, identidem inſtruebat.

Quod ſi iter à quopiam ſuſcipiendum eſſet, pridie illum ad ſe euocatum, examinabat accuratè, an nihil eorum quæ viatori pauperi ſunt neceſſaria ei deeſſet, & an quâ re aliâ inſuper egeret. Nemo in periculum, indigentiam neceſſitatemue aliquam incidebat, quin illico ipſi affectu paterno opem ferret.

P. Ioannes Guttanus Gallus, Vir eruditionis, & virtutis eximiæ, Gandiâ, vbi Philoſophiam docuerat, Romam nauigabat. Ortâ ſæuâ tempeſtate, ad Siciliæ litt-

tora

b *Ribad. lib.* 5. *c.* 8. c *Bartolus lib.* 3. *n.* 42.

tora iactatus, & à Saracenis captus, atque in Africam abductus fuit. Ibi miſeram coactus eſt, inſtar mancipij ſeruire ſeruitutem. Ea boni Patris calamitas virum Sanctum ſummo affecit dolore, qui pro eius redemptione libens ſeipſum venumdediſſet. Cum id non liceret, omnia mouit per Siciliæ Proregem, per Patres Siculos, per alios. Neque vllis ſumptibus, curiſque pepercit, vt ſuo illi chariſſimo mancipio, libertatem aſſerere poſſet. Verum priuſquam de lytro conuentum eſſet, placuit Deo Guttanum è corporis vinculis liberare, eiuſque patientiam coronare potius, quàm Sancti Patris charitatem ſolari.

Eamdem charitatem aliâ occaſione erga ſuos demonſtrauit. Oliuerio Manaræo Collegij Romani Rectori mandatum dederat, cubicula, ſupellectilem, victumque pararet ad duos & ſeptuaginta ſocios nouos excipiendos. Hoc ille impigrè executus eſt; & cùm iam opus omne confectum, & cubicula inſtructa eſſent, ea vt luſtraret Vir ſanctus aſcendit. Probauit quidem pleraque; verùm ei diſplicuit, quod cubicula in granario ſtructa, non alio operimento contra aëris iniuriam defenderentur, quàm ipſis tecti imbricibus

tegu-

teguliſque: & ad Rectorem conuerſus; pauperem quidem vitam, inquit, ſeruos ſuos Deus vult degere, at non tam incommodam, vt tu quidem videris velle. An in Diuinæ prouidentiæ theſauris tantum non ſupererat nummorum, vt ad tabulatum conſtruendum ſufficerent? atque adeo ſub tegulis, & ſub dio propemodum habitandum arbitrareris? Iuſſit igitur id actútum parari.

Quocirca cùm tam ſollicitam paternamque omnium curam gereret, vetabat omnino ſuos, vel minimam de ſeipſis, rebuſque neceſſarijs cogitationem ſuſcipere; neque quicquam ſibi alicunde, ſiue ad veſtitum, ſiue ad alium quemcunque vſum opportunum procurare; idque non modò ab integris, valentibuſque, verùm etiam ab ægrotantibus obſeruari accuratè iubebat.

Morbo verò tentatos quantopere curæ, cordique haberet, dictu incredibile eſt. *d* Iubebat ſtatim vt aliquis in morbum incidiſſet, ad ſe deferri. Obſonatorem bis quotidie ſibi renunciare, num emiſſet quę infirmorum Præfectus ad illorum vſum poſtulâſſet. Quod ſi pecunia ad ſumptus non ſuppeteret, lances ſtanneas vel quadras paucas, quæ in domeſtica fortè ſupellectile

d *Ribad. lib. 5. c. 8.*

le reperiebantur, vendi primùm, deinde le-ctorum ſtragula, iubebat.

Coadiutori cuidam fratri domeſtico præſcripſit Medicus, certum ſolidiorem paulo cibum, e ad eius inſtaurationem neceſſarium. Obſonator de illo emendo monitus, tres ſolos iulios, qui ad familiam eo die ſuſtentandam vix ſufficiebant, ſibi ſupereſſe Ignatio renunciauit. Et hi, inquit, Vir ſanctus pro ægroto expendantur: nobis enim qui valemus, panis ad vitam trahendam ſuffecerit.

Duo Tyrones Coadiutores, vnus Hiſpanus, Gallus alter, vix pedem in domum intulerant, cùm in morbum inciderunt: erant ſub id tempus complures domi, varijs proſtrati morbis; res familiaris admodum anguſta, pauca pro multitudine infirmorum cubicula. Fuit igitur qui eos cenſeret ad noſocomium deportandos, donec valetudinem recuperâſſent: Nequaquam verò, nequaquam id fiat, ait Vir Sanctus; An domi noſtræ locus non erit ei, qui mundum totum pro Deo reliquit? Quæratur locus, illis proſpiciatur, & Deus propter illos, nobis quoque prouidebit.

Quod ſi quid circa infirmorum curam negli-

e *Bartolus lib.3. n.42.*

negligeretur, id ſeueris ſolebat caſtigare pœnis. Excidit ſubinde tum Miniſtro, tum Valetudinarij Præfecto, tempore conſtituto, Medicum ad ægrotum viſendum arceſſere. Vtrumque Sanctus Pater mediâ nocte domo emiſit, vetuitque redire, Medico non adducto. Itaque quòd tempus illud ad rem prorſus eſſet importunum, ad Xenodochium aliquod ſe recipere ſunt coacti, dum illuceſceret.

Tantam curam & commiſerationem ægrotantium, in animo Ignatij pepererat infirmitatum, quibus in vitâ ſuâ afflictatus fuerat, frequentia; ſolebatque diuinam hac in re laudare Prouidentiam, quod ipſum tot exerceri morbis permiſiſſet, vt aliorum diſceret miſereri. Hinc illæ eius voces: quam bonum habemus Dominum! qui dum morbo nos affligit; docet nos alienarum infirmitatum miſerationem. Quam ſuam ſententiam aliquando Martino Olauio Collegij Romani Rectori cùm ægrotaret, cum ſalute fertur nunciâſſe. Longior denique forem, ſi referrem quæ in ſuorum morbis curandis, vi pluſquam humanâ non raró patrauit. Nam Oratione ſuâ multis ſanitatem impetrâſſe eum conſtat, & aliqua ſupra attigimus, quæ ex paternâ quadam commiſeratione originem

quidem

quidem duxere; ſed quia ſub imitationem non cadunt, ijs enarrandis ſuperſedeo.

Sectio Tertia.

Beneficentia erga quos maximè ſit exercenda.

IAm quibus exhibenda ſit, & quanto animi affectu iſta beneficentia, illuſtriſſimis quæ allata ſunt docemur exemplis; proderit verò alia dicta, factaque & rationes illis adiungere.

Beneficentiam igitur propriam eſſe eorum, qui alijs præſunt, virtutem, ipſa mundi huius ſpectabilis docet conſtitutio: in quo ea corpora ſunt maximè benefica, quæ & altiſſima; ſydera nimirum tum fixa, tum errantia; quæ perpetuis cientur motibus, & lumen, aliaſque benignas in hæc infima qualitates demittunt. Et eorum quidem exemplo, Seneca Claudij Cæſaris benignitatem ſapienter illuſtrauit: *Ex quo Cæſar*, inquit, a *ſe Orbi terrarum dedicauit, ſibi ſe eripuit, & ſyderum modo quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquam illi licet nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere.*

E Quod

a *In conſolat. fratris ad Polybium.*

Quod ſi hoc à mutis illis corporibus Diuina exigit Prouidentia, multò magis id ipſum à mentibus excelſioribus requirit. Quod vtique in Angelicâ Hierarchiâ euenire, Dionyſius Theologique tradiderunt; vbi altiores intelligentiæ purgant inferiores, illuminant, & perficiunt: Et vt idem Dionyſius dixit, b *ab amore mouentur ſuperiora, ad inferiorum prouiſionem.* Hoc tamen eo fit ordine & lege, vt propinquiores mentes priùs & copioſius perficiant, ſicut quæuis etiam corporea agentia, prius agunt in ſubſtantias propinquas, quàm in remotas. Quod & Deus ipſe præſtat quodam modo, qui bonitatis ſuæ dona, copioſius in ſubſtantias coniunctas, quàm in alias diffundit, vt idem Dionyſius obſeruauit. c Qua propter ijs, quibus Oues Chriſti commiſſæ ſunt, magnopere incumbit, vt in omnes quidem, quantum ratio ſinit, ſint benefici; ſed multo maximè & copioſiſſimè, in eos quos tanquam Patris Cœleſtis æque ac ſuos regendos Filios, ſuſceperunt. Quibus ipſi vt eminentiores præpoſiti ſunt, & in quos tanquam ſibi ſubiectos & inferiores, perpetuò benignitatis ſuæ dona debent profundere.

Quam

b *Lib. de Diu. Nomin. c.* 4. c *De cæleſti Hierarch. c.* 7.

Quam benignitatem excelſi illi Eccleſiæ Rectores Apoſtoli, nos verbis, exempliſq́ue docuerunt. Et Pauli quidem beneficentiam, paſſim ſcriptura nobis reliquit conſiderandam; cuius præclara illa enumerat axiomata. d *Non debent filij Parentibus theſaurizare, ſed Parentes filijs.*

Item e *non quæro quæ veſtra ſunt ſed vos.* Et *beatius eſt dare quàm accipere* quod à Chriſto ſe didiciſſe memorat. Plane; vt docèt S. Chryſoſtomus: f *Cunctos non carnales tantummodo, verum etiam ſpirituales Patres, ſollicitudine & pietate ſuperabat; & pecunias, & verba, & corpus, & animam pro his quos diligebat, impendens.*

Id teſtatur paternus eius erga Oneſimum ſeruulum fugitiuum animus, pro quo epiſtolâ à ſe ſcriptâ deprecatur Philemonem, amantiſſimis his verbis. g *Obſecro te pro meo filio quem genui in vinculis. Illum vt mea viſcera ſuſcipe, ſi habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut & me. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.* Et quidem eius charitas & paterna cura non ad magna ſolùm, ſed etiam ad minima ſe

d 2. *Cor.* 1. 12. *v.* 14. e *Act. c.* 20. *v.* 31. f *Hom.* 4. *de laudibus Pauli.* g *Epiſt. ad Philem.*

extendebat.

Nicopolim è Cretâ Titum euocabat, *h* ſimul iubebat præmitti Zenam, & Apollo: verùm monebat, ſollicitè videret, vt nihil illis deeſſet, nempe, vt de viatico Titus illis proſpiceret.

Similiter inter tot, tantaſque Eccleſiarum curas, de Timothei diſcipuli ſui ſanitate conſeruandâ, magnus ille Apoſtolus ſollicitus, præſcripſit illi, vt vino vteretur. *Noli*, inquit, *i adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates.*

Et vniuerſim erga infirmos & male affectos erat admodum beneficus. *Conabatur*, inquit Chryſoſtomus, *k erigere labantes, ſtantes verò firmare, humi iacentes attollere, ſanare contritos &c. Ipſe ſedulus ægrotorum miniſter, & vnus omnium Perſonas & exercitium vbiq; cuſtodiens.*

Dulciſſimam vero Petri Summi Paſtoris benignitatem, tum alias ſæpe, tum præcipuè cum ad eius diſciplinam primum acceſſit, S. Clemens *l* ſe narrat expertum. Se ab eo humaniſſimè aſſerit exceptum, eius menſæ accumbere, & vires nauigationis ærumnis fractas inſtaurare iuſſum.

Et

h *Tit.c.*3.*v.*13. i 1.*Tim. c.*5. *v.*23. k *Hom. cit.* l *De geſtis S.Petri.*

Et cùm poſtero die horis antelucanis, oratione factâ de more Diſcipulos conuocâſſet, vt ad illos verba de rebus Diuinis, faceret, Clementem vetuit excitari. Nihilominus dum experrectus vltro Clemens, Petri adhortantis vocem percepiſſet, ad concionem illico accurrit. Hîc Apoſtolus ſermone interrupto, ſe non obliuione, ſed conſulto ipſum non euocâſſe profeſſus eſt, quòd poſt tantos nauigationis labores, quietem ipſi neceſſariam foret arbitratus.

Tripolim venit cum magno Diſcipulorum comitatu, & ad domum Maronis diuertit. *m* Hic Apoſtolo defertur cibus, potuſque; verum negauit ille quicquam eorum ſe guſtaturum, niſi prius ipſi conſtaret, omnibus ſuis Diſcipulis & comitibus de commodo proſpectum diuerſorio.

Principiò igitur hoc maximè Superiori curæ eſſe debet, vt nihil eorum quæ ad Religioſam frugalemque ſubiectorum ſuſtentationem exiguntur deficiat. Hoc in Societate lege peculiari præſcribitur qua iubetur: *n Rector Subditorum neceſſitatibus paterno affectu proſpicere.* Et Magnus Gregorius *o* dum Paſtorem inſtituit, grauiter re-

m *Lib. 6. Recogn.* n *Reg. 25. Rectoris.* o *Paſtor. par. 2. c. 7.*

prehendit eos *qui ita ſpiritualibus vacare appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur; qui cùm corporalia curare negligunt, ſubditorum neceſſitatibus minimè ſuccurrunt.* Quid porro ex illâ ſiue incuria, ſiue inhumanitate conſequatur, ſanctus ille Doctor ſubiungit. *Quorum prædicatio plærumque deſpicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, ſed tamen eis vitæ præſentis neceſſaria non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur.*

Et demum concludit. *Vnde Rectori neceſſe eſt, vt interiora poſſit infundere, cogitatione innoxiâ etiam exteriora prouidere.* Hæc ille verè, & ſapienter.

Nam ad virtutem, & ſanctitatem ſuos Superior ducere & promouere intendit, idque imperijs, monitionibus & adhortationibus. Quo animo inferiores doctrinam eius ſuſcipient, diſciplinam ferent, iuſſa exequentur, quem vel incurium vel tenacem, vel inhumanum experiuntur? Corpore homines conſtant & animâ; quæ ſenſum corporis feriunt, atque imaginationem turbant & inquietant, aditum ad mentem præcludunt. Corporis igitur neceſſitatibus Superior benignè, paternè, ſollicitè prouideat, & curet vt abundet potius aliquid quàm deſit. Et verò ſi quid ne-

ceſſa-

ceſſariorum deficiat, quia incommodorum homines impatientes ſunt, modos non laudabiles circumſpicient, quibus ea ſibi comparent: indecora erga externos obſequia, artes familiaritateſque homine Religioſo indignas, atque ita fiet vt Paupertatis ſplendor obſcuretur & quiſque ſuo magis bono, quàm communi ſtudeat.

Atque hoc ita curandum eſt. Primò, vt nullus omnino ab hac curâ & beneficentiâ excludatur; ſummis enim, infimiſque perfectis & imperfectis, ſapientibus, & inſipientibus hoc officium præſtandum. Secundò, plurimum refert, vt facilem ſuis ad ſe aditum præbeat. Præclarè de hoc Bonauentura. p *Sit Rector humilis affabilitate, vt ſubditi facilem acceſſum ad eum habeant, fiducialiter ei loqui, de quibus indigent; audeant, & patienter eos audiat & benignè eis ſatisfaciat.* Itaque omni ad ſuos audiendos horâ paratus ſit, ijſque benignè auditis ſatisfaciat; ſi re non poſſit, placidâ ſaltem ratione, verbiſque.

Incredibile dictu eſt quantam hoc in ſubiectis beneuolentiam conciliet, quanta etiam mala hac ratione præueniantur, quanta bona procurentur. Ita non formi-

p *De ſex Alis c.6. n.3.*

dabunt, neque different ea quæ animum moleſtant, in ſinum Præpoſiti profundere.

Quæ quidem comitas etiam in ethnicis olim laudata inuenitur. Hoc M. Tullius in Quinto fratre celebrauit, *facillimos eſſe aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac ſolitudinem à te excluſam.*

Hoc in Traiano, & Gratiano Plinius, & Auſonius alijque in alijs ſuſpexerunt. Et à Principibus Chriſtianis optimis ſeruatum, in quibus Rudolphus Cæſar Auguſtæ Domus Auſtriacæ gloria: *Sinite*, inquiebat ſatellitibus *homines ad me venire, non enim ideo ad Imperium vocatus ſum, vt arculæ includar.*

Tertiò magnum beneficentiæ pretium addit vultus hilaritas, verborumque, quibus ea exercetur, benignitas. In donis enim, vt olim Heſiodus *q* dixit; Animus optimus, & is magis quam res quæ conceditur, ſpectatur. Etiam minima animo magno & liberali largiri, non eſt paruum.

Cum autem in omnes omnino, vt diximus, extendere ſe debeat Prælati beneficentia; tum præcipuè in quadruplex hominum genus, nimirum in eos qui contentius laborant, in peregrinos, in ægros,

&

q ξενίων δὲ θυμὸς ἄριςος

& in ſenes.

In primis eorum qui pro Deo & bono publico laboribus grauantur, curam iam olim Moyſes hominum benigniſſimus ſuſcipiendum allegoricè docuit; dum vetuit r *ligari*, *os bouis terentis in area fruges.* Qua lege quid ſignificetur Apoſtolus expoſuit: ſ *Non alligabis,* inquit, *os boui trituranti: numquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtique hæc dicit?*

Aliud nimirum quod magis Deo curæ eſt quam boues, illâ lege indicari Paulus intellexit. Nempe, vt qui in areâ Euangelica inſtar boum laborant & ſudant, ſiue, vt alibi loquitur Apoſtolus, t *qui laborant in verbo, & doctrinâ,* benignè ſuſtententur & foueantur. Durum & inhumanum viſum Moyſi ſapientiſſimo Legiſlatori, ſi miſero boui, toto die fruges trituranti, non indulgeatur, vt ſpicam ſubinde vnam alteramue ſub pedibus iacentem, poſſit tollere.

Durum ſimiliter, & inhumanum meritò cenſebitur, ſi ijs qui pro Euangelio & animarum bono ſtrenuè laborant, id quod ad honeſtam requiritur ſuſtentationem, denegetur.

r *Deuter.* 25. *v.*4. ſ 1.*Cor.*9. *v.*9. t 1. *Timot.* 5. *v.*17.

Illâ & religioſâ quoque certis temporibus relaxatione, maximè egent, qui ſtudijs alijſque ſerijs mentis laboribus diſtinentur: quia talia animum & naturam humanam, magnopere fatigant & ſenſim proſternunt. Quod etiam Ariſtoteles vidit, qui hominem ita comparatum dixit, vt non poſſit diu ſine aliqua delectatione ſubſiſtere. Idcirco ſapienter S. Ignatius in ſuis Conſtitutionibus; u *vt aſſiduitas*, inquit, *in literarum exercitio, ſic & aliqua remiſſio neceſſaria eſt.* Quod & facto ſuprà allato docuit, & ij qui in eius adhuc viuentis ſcholâ educati fuerunt, Oliuerius Manaræus, Franciſcus Coſterus alijque quos in Belgio vidimus noſtrâ ętate ſuperſtites, benignitatem illam in eos qui ſtrenuè laborant, nobis tanquam paternam quamdam hæreditatem, inter alia, reliquerunt.

Secundò, in Peregrinos & hoſpites, magna charitas & beneficentia eſt exercenda. Si hoſpitalitatis exordium velimus inueſtigare, inueniemus eam olim à ſanctiſſimis viris & Patriarchis, Abrahamo, Loto, alijſque magna cum laude exercitatam & fructu, atque inſigni paſſim à Deo remuneratione ditatam. Verùm illam Apoſtoli, primique

u *P.4. c.13. §. 5.*

miq̀ue Chriſtiani, ex Domini doctrinâ atq́ue inſtitutione, ipſi naſcenti Eccleſiæ congenitam, cum magno charitatis ſplendore aluerunt & auxerunt.

Hoc in Epiſtolis ipſorum paſſim eſt obſeruare. *x* Hinc illa ad Hebręos, *y Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio ſuſceptis.* Nihil noui Apoſtolus, ſed rem iam vſu ſtabilitam illis curæ eſſe vult. Philadelphia, ſiue fraterna charitas, maneat, inquit, & Philoxenia, ſiue hoſpitalitas non tradatur obliuioni; quam etiam auctoritate antiquorum confirmat, *z* qui dum exiſtimarent ſe homines excipere, ignorantes Angelis ſub eorum perſonâ latitantibus obſequium pręſtiterunt. Conſtat igitur benigniſſimam hanc charitatem, à primis Chriſtianis ſummo ſtudio Peregrinis fratribus exhibitam fuiſſe, quos domo excipiebant, pedes venientibus lauabant, menſâ qua poterant optimâ, reficiebant.

Quæ beneficentia adeò initio Eccleſię erat celebris, vt Tertullianus *a* inter alia ſigna fidei Catholicę, retulerit *conteſſerationem*

x 1. *Pet.* 4. *v.* 3. *Rom.* 12. *v.* 13. y *Heb.* 13. *v.* 1. φιλαδελφία φιλοξενία. z *Gen.* 18. & 19. *a Lib. de præſcript. c.* 20.

tionem hoſpitalitatis, quo verbo indicat, ſignum quoddam fuiſſe, ſeu teſſeram à peregrinis exhiberi ſolitum, quâ fideles & fratres dignoſcerentur. Eamdem hoſpitalitatem magnis laudibus ſancti Patres paſſim extollunt. β

In more autem poſitum fuiſſe, vt Peregrinorum pedes lauarentur, luculentè teſtatur Apoſtolus, γ dum dicit: *Si hoſpitio excepit, ſi pedes Sanctorum lauit.* Chriſtianorum vtique quos paſſim Sanctos vocat. Quæ quidem Charitatis exercitatio, hodieque in multis perſeuerat Ordinibus Religioſis, & in Societate vſitata eſt, in quâ, vt R. P. Noſter Mutius Vitelleſcus Vener. mem. Præpoſitus Generalis loquitur: δ *Mos ille in Apoſtolicæ charitatis ſinu ortus*, inde ab eius exordio conſeruatus fuit. Audiamus Chryſoſtomum illum facundiâ ſuâ commendantem: ε *Perge*, inquit, *quære*, *hoſpitio ſuſcipe*, *accede*, *tange ſacros pedes. Tu illius*, *qui Chriſtum in ſe habet*, *pedes non tenebis? Sancti ſunt pedes*, *etiamſi viles ſunt.*

Beni-

β *Ambr. lib.* 2. *Off. c.* 21. *& lib.* 3. *c.* 7. *Chryſoſt. Conc.* 2. *de Lazaro. Auguſt. Hom.* 70. *de tempore.* γ 1. *Timot.* 5. *v.* 10. δ *Ep.* 2. *paulo ante fin.* ε *Hom.* 14.

Benignum itaque munificumque intra religioſæ frugalitatis terminos, in Peregrinis hoſpitio ſuſcipiendis, Prelatum quemuis eſſe oportet. Non modò homines hac ratione ſibi conciliabit mirificè, qui vt tenacitatem, anguſtoſque animos mirum in modum deſpiciunt & oderunt, ita beneficos, & religiosè liberales, corde amant, ore laudant, & operibus viciſſim benignis colunt. Verum inſuper, quod caput eſt, Chriſtum habebit liberaliſſimum remuneratorem, cuius illa ſunt verba § *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Item *quando feciſtis vni ex his fratibus meis minimis, mihi feciſtis.* Teſtantur Hiſtoriæ ſeu Vitæ Patrum, eos qui in hoſpitibus fratribus excipiendis benignos, liberaleſque ſe exhibuerunt, à Deo magnis viciſſim beneficijs donatos: eos verò qui in charitatis illo officio exercendo, anguſti parcique fuerunt, cum egeſtate perpetuâ luctatos.

Tertium denique genus hominum, in quos beneficentiam ſingularem Prælati exercendam diximus, ſunt Infirmi; ſiue illi morbo proſtrati, lectuliſque affixi ſint; ſiue debilitate aliquâ, aut corporis defectu laborent. Quantâ curâ & benignitate ijs ſuccur-

§ *Matt.25. v.35.*

ſuccurrendum, & tam de medico, medici-niſque, quàm congruis alimentis prouidendum ſit, exemplo ſuo verbiſque docuit S. Ignatius vti narrauimus. Cui conſentit doctrina S. Bonauenturæ. γ *Omnis humanitas,* inquit, *infirmis & debilibus eſt exhibenda, quia flagellati ſunt à Domino : ſi ſuper hoc ab hominibus tribulantur, ipſa eorum miſeria clamat ad Patrem miſericordiarum contra illos.* Et hoc quidem erga omnes, etiam eos, quorum conualeſcentia non ſperatur, præſtandum. Quia vt idem Sanctus Pater monet, *propter meritum charitatis, non propter retributionem humanæ vtilitatis, infirmis miſericordia exhibetur. Vbi enim maior miſeria, ibi clarior miſericordia apparet, & purior charitas.* Itaque ſi anguſta ſit domi res, deſit tamen potius aliquid ſanis, quàm infirmis.

Et his non modò medici, medicinę, victuſque conueniens procurandus, ſed alia quoque, quæ ſine ſumptu exhibentur, & magno tamen ſunt ſolatio. Talia ſunt frequenter eos inuiſere, eorum miſereri, verbis eos ſolari, ad deſideria cœleſtia, ſpemque bonorum æternorum illos erigere. *Nam magnum calamitoſo remedium eſt,* inquit Nazianzenus, θ *miſeratio ex animo colla-*

γ *De 6. Alis c.4.n.4.* θ *Orat.* 16.

collata.

Poſtremò ſenes ægris annumerandi ſunt. Quia ſenectus ipſa eſt morbus. Vnde Ariſtoteles *l morbum vocauit aduentitiam ſenectutem, ſenectutem morbum naturalem.* Ob caloris enim natiui, viriumque defectum, languore quodam perpetuo ſenes grauantur. Humores praui, pituita, flaua & atra bilis inualeſcit; ſanguinis, ſpirituumque vigor remittitur. Hinc eorum animus multarum perturbationum expoſitus eſt motibus; triſtitiæ, ſuſpicionis, iræ, vindictæ. Corporis enim languorem, ſæpe etiam mentis comitatur imbecillitas. Leui itaque offenſiunculâ tanguntur, excandeſcunt, & affliguntur. Quapropter magna quædam benignitas, lenitaſque ſenibus debetur; ijſque tanquam infirmis omnia paternè quæ eorum, exigit ætas concedenda. Si forte iam operam publico non præſtant, at præteritis id egerunt annis, & ætatem vireſque laboribus pridem toleratis conſumpſerunt. Nequaquam ergo aſperioribus perſtringendi verbis, aut imperijs duris vrgendi; quę quidem acerbiora illis accidunt, quoties à iuniore procedunt. Sapienter Ambroſius docuit, *x Propter honorificentiam ætatis, maiorem*

l Lib. 5. de gener. animal. c. 4. x Hom. 5. v. 1.

iorem natu cum manſuetudine ad bonum opus prouocandum.

Atque hæc quidem non verbo ſolùm, ſed & exemplo nos docuit Apoſtolus, qui Timotheo commendat. λ *Seniorem ne increpaueris; ſed obſecra vt Patrem.* Et ipſe præceptum hoc ſummâ quadam prudentia, & benignitate erga Philemonem obſeruauit. Senex hic erat æquè ac ipſe Paulus; & cùm poſſet auctoritate Apoſtolus vti ſuâ, eique imperare, vt Oneſimum ſeruum reciperet: Noluit tamen ei præcipere, ſed hominem prius multis laudibus delinitum ob egregiam eius charitatem & fidem: demum blandiſſimis interpellauit precibus. μ *Gaudium*, inquit, *magnum habui & conſolationem in charitate tua, quia viſcera Sanctorum requieuerunt per te frater. Propter quod multam fiduciam habens, in Chriſto IESV imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obſecro te pro filio meo*: Et alia plena charitatis quæ paulò antè retulimus.

Quod ſi ad ea quæ hoc capite diximus, animum Prælatus animaduertere voluerit, videbit à ſuis, aliiſque præberi ſibi occaſiones præclariſſimas, cuncta pænè corporalia ſiue externa miſericordiæ opera exercendi.

λ 1. *Timot.* 5. *v.* 1. μ *Ad Philem. v.* 7.

cendi. Paſcendi eſurientes, potum dandi ſitientibus, veſtiendi nudos, infirmos viſitandi, peregrinos hoſpitio excipiendi, &c.

CAPVT SEXTVM.

Charitatem potiſſimùm in perficiendis ſubiectorum animis, verbo & exemplo, exerceri.

CHaritatem operibus externis erga ſubiectos à Superiore exerceri, multùm refert; at verò plurimùm vt eamdem animis illorum ſedulò impendat. Immò in hoc ſunt omnia, & eò totum Paſtoralis officij pondus incumbit. Atque id Chriſtum voluiſſe quando primo Paſtori Petro oues ſuas commiſit, eique tertiò ingeminauit illud *Paſce*, cenſet Bernardus. *a Paſce*, inquit, (oues ſcilicet meas) *mente, paſce ore, paſce opere; paſce animi Oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Quo autem modo Oratione ſuos iuuare Paſtor debeat, iam expoſitum eſt: ſuper eſt, vt quo modo verbo & exemplo id præſtandum ſit, videamus.

S a-

a *Serm.2. de Reſurr.*

SECTIO PRIMA.

Chriſtus Diſcipulos ſuos virtutem docuit verbo, & exemplo.

CVm Diuinus Magiſter Diſcipulos ſuos, ad perfectionem & ſanctitatem omnem ſuauiter æquè ac fortiter vellet informare, non id verbis tantùm, ſed & factis potiſſimum egit; *cœpit*, inquit Lucas, *b IESVS facere & docere.* Nihil igitur illos docuit quod non præſtaret, & opere exequeretur ipſe; Et, vt Bernardus alibi dicit, quæ docuit verbo, firmauit exemplo. Docuit ſuos charitatem, humilitatem, paupertatem, caſtitatem, obedientiam, manſuetudinem, patientiam, animarum zelum & ſimilia; Eaſdem virtutes ipſemet totâ vitâ ſuâ exercuit, eaſque in gradu, vt loquuntur, exemplari, ſuorum oculis imitandas obiecit. Et hoc tamquam Paſtor bonus, *c qui cum proprias oues emiſerit ante eas vadit, & oues illum ſequuntur.*

Atque id apertè ſe agere profeſſus eſt, quando in Cœna vltimâ, *d* poſitis veſtimentis, linteo ſe præcinxit, aquam in peluim

b *Act.*1. c *Io.*10. *v.*4. d *Io.* 13.

peluim miſit; & Diſcipulorum ſuorum pedes, humi proſtratus rerum omnium Dominus lauare eſt dignatus. Humilitatem, & charitatem mutuam docere voluit; non eſt vſus verbis, ſed opere, & ſic potentiſſimè quo modo faciendum ſit, demonſtrauit. Atque, vt id Apoſtolis rudibus manifeſtiùs declararet, poſtquam recubuit, *Si ego*, inquit, *laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes; Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Si verbo tantùm Diuina Sapientia hanc pedes lauandi charitatem ſuis commendâſſet, fuiſſent, reor, aliqui, qui adhortationi eius ad tempus locum dediſſent, verùm exemplum illud ita mortalium animos affecit, vt ſancta illa conſuetudo, non modò à primis, vt diximus, Chriſtianis celebrata fuerit, ſed omnibus ſæculis perdurârit, & ad finem vſque mundi in Eccleſia ſit perennatura.

Quod ſi Euangelicam Hiſtoriam percurrere omnem liceret, hoc Dominum perpetuò egiſſe deprehenderemus. Libet aliqua eius dicta factaque delibare.

In montem eum aſcendiſſe, refert Matthæus & ad illum Diſcipulos acceſſiſſe. e

Ibi

e *Matt.* 5. *v.* 1.

Ibi aperiens os ſuum, inquit, *docebat eos*. Cœpit nimirum tunc Diſcipulis perfectionem, & ſublimem quod adhuc non fecerat, doctrinam proponere; Sed quam ipſo facto iam in vitâ ſua exprimebat. Paupertatem ſuaſit amplectendam, dum in ipſo ſuę adhortationis principio dixit: *Beati Pauperes ſpiritu*. Eamdem alias ſæpius commendauit, dum ſuaſit omnia relinquenda, aurum, æs, peram non geſtandam; Ita frequenter verbis; verùm opere ipſo longè potentius id ſuis perſuaſit, quando viderunt eum omnium mortalium pauperrimum, ſine vllius rei poſſeſſione, ſine tecto, ſine lare, ſine ære, ſine ſupellectile, ita vt verè potuerit dicere cuidam, qui in eius familiam admitti poſtulabat, f *vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Neque enim lecticam, aut ſcamnum, aut ceruical ſuum habebat Dominus in quo recumberet; atque ita non modò hominibus, ſed ipſis quoque feris rapacibus, volucribus, aliiſque inutilibus animantibus erat pauperior, cum hæc habeant quo ſe recipiant; & vbi fœtus ſuos reponant. Qualis verò vita Domini, talis & ortus eius fuit, & occaſus. In ſtabulo natus, fœno

f *Matt.* 8. *v.* 20.

no alieno mox impoſitus; in cruce verò non ſuâ, nudus eſt extinctus. Atque hinc magis quàm ex concionibus eius, Paupertatis virtus in Diſcipulorum animos, & in vniuerſam Eccleſiam vſque ad finem mundi eſt propagata.

Humilitatem præ omnibus alijs virtutibus, ſuis cordi eſſe voluit Dominus; ſed illam vt efficaciter doceret, ipſe primus ſummo ſtudio, & quâuis occaſione eam exercuit. In veſte, & externo cultu vilis apparuit. Fabrilem artem ante Euangelij prædicationem profeſſus eſt; deinde cùm venturi eſſent populi, vt Regem eum facerent, fugit in montem ſolus, & nocte per maris vndas ambulans, euaſit. Opprobria, iniurias, calumnias, contumelias non declinauit.

In vitâ porro quotidiana, & cum ſuis conſuetudine non Dominum, ſed Miniſtrum ſe exhibuit. *Ego autem,* g inquit, *in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.* Poſtquam ergo viliſſimo, & humillimo locò natus, in Nazaret vico ignobili, & inter fabrilia inſtrumenta educatus, in omni vitâ ſuâ contemptus omnibuſque humilis viſus fuiſſet: tum demum ſeriò ſuos humilitatem docere potuit, & dicere: h *Diſcite*

g *Luc.* 22. *v.* 27. h *Matt.* 11. *v.* 19.

te à me quia mitis ſum, & humilis corde; tali propoſito exemplo, cum magno pondere ac fructu minari potuit Diſcipulis: *Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Similiter Charitatem & dilectionem proximi, etiam inimici, Diſcipulos ſuos magno multorum argumentorum pondere docuit: *Diligite*, inquit, k *inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Quaſi dicat, non modo amicis & beneuolis benefacite, ſed etiam aduerſarijs. Illos corde diligite, ore pro illis orate, illis opere benefacite. Et rationes graues adfert. Primò, quia Ethnici, & Publicani etiam diligunt amicos; Vos autem qui futuri aliquando Magiſtri Orbis terrarum, quique in ſcholâ mea eruditi eſtis, altiùs aſcendere oportet, & ad inimicorum quoque dilectionem mentem attollere. Secundò, Patrem veſtrum conſiderate, qui pijs & impijs, inimicis ſuis æquè ac amicis, ſua impertit beneficia ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; & vt Chryſoſtomus amplificat. l *Adulteros & fornicarios, & maleficos nutrit*;

k *Matt*. 5. *v*. 44. l *In Ep. ad Hebr. c*. 11.

trit; quin immo omni flagitiorum genere coopertos.

Filios Patri vtique ſimiles eſſe conuenit. Quare concludit. m *Eſtote ergo vos perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Sic nimirum eritis Filij Dei, non degeneres, ſed legitimi, & genuini. Poteratne Dominus efficacioribus argumentis Diſcipulos ſuos ad inimicorum dilectionem exſtimulare? Nam vt Cyprianus ait *Quæ gloria eſt ſimilem Deo fieri?*

Minorem tamen vim hęc oratio, & validiſſima argumenta apud Diſcipulos habuiſſent, niſi tantæ virtutis Doctor, eiuſdem quoque actus pluſquam heroïcos perpetuò exercuiſſet.

Ac vt pauca de multis proferam: quantæ fuit dilectionis Iudæ proditori pedes lauare, ipſum menſę ſuę adhibere, ex eâdem cum ipſo paropſide cibum ſumere, ſacrum ei Corpus, & Sanguinem ſuum largiri, ipſius oſculum in horto non recuſare, oſculari, quin immo amplecti atque blandiſſima voce illum amicum compellare?

Orare pro inimicis ſuis docuit. At ipſe in Cruce, in tanto tormento, pro iuratis ſuis hoſtibus, pro ijs ipſis qui eum crucifixerant palam omnibus audientibus Patrem

m *V.* 48.

trem orauit. Inſultabant ei inimici, & clamabant ferociter, deſcende. At ipſe Patrem humiliter deprecatus dicebat: *Ignoſce*. Sanguinem denique pro hoſtibus ſuis fudit ac Patri obtulit, animam pro eis poſuit, mortem oppetijt, *conuerſi ſunt*, inquit Auguſtinus, n *& tanti ſanguinis tam impiè atque immaniter fuſi, indulgentiam perceperunt, ipſo redempti ſanguine quem ſuderunt.*

Nullam denique virtutem ſuos docuit Dominus, quam ipſemet non exerceret modo perfectiſſimo. Abnegationem ſui, & obedientiam illis ſuaſit, ſed ipſe voluntatem Patris, non ſuam in omnibus ſecutus, factus eſt obediens vſque ad mortem. Ad Caſtitatem eos hortatus eſt; ſed ipſe tanti eam fecit, vt non contentus ſeruare angelicam, immo Diuinam quamdam puritatem, inaudito prodigio è Virgine naſci voluerit, vt ab omni immunditia, etiam in Matre ſua eſſet quàm remotiſſimus. Patientiam docuit, & perſecutionum tolerantiam; at ipſe immaniſſimas à primo vitæ exordio vſque ad mortem paſſus eſt. Dicere igitur potuit. *Non eſt Diſcipulus ſupra Magiſtrum.* o

S 1-

n *Tract.* 92. *in Ioannem circa medium.*
o *Io.* 15. *v.* 20.

SECTIO SECVNDA.

Quibus induſtrijs exemplisq́; S. Ignatius ſuos ad virtutem euexerit.

Eâdem quâ Chriſtus viâ inceſſit S.Ignatius, is curâ vigili, labore indefeſſo, induſtria admirabili ſuos ad ſummam virtutem erudiuit, docendo, inſtruendo, & dirigendo; ſed ita vt ea omnia quæ docebat verbo, confirmaret exemplo: cum ſublimem quamdam, eamque vt loquuntur practicam rerum ſpiritualium notitiam aſſecutus eſſet, non librorum equidem lectione, ſed Diuinis illuſtrationibus: neque enim in ſpeluncâ Manreſana alium habuit Magiſtrum, quàm Spiritum Sanctum. Eamdem ſcientiam, quę tota ad mores formandos ferebatur, rarâ quadam induſtriâ in ſuos Diſcipulos, aut ſocios deriuabat, eoſq́; ad vitiorum extirpationem, ſui victoriam, virtutum omnium acquiſitionem, arte quadam exquiſitâ dirigebat. Id ante Societatem inchoatam, plures Pariſijs viri eminentes reipſa ſenſerunt, *a* quorum facilè principes fuere, Doctores Martialis, Vaglius & Moſchoſus, quorum primus cùm attenderet quàm ſcitè ſe de rebus cæleſtibus

a *Orland. lib.*1. *n* 72.

leſtibus Ignatius edocuiſſet, in eam venit mentem, vt vellet ipſum publicè Theologiæ creari Doctorem, quamuis necdum Philoſophiæ laureâ donatum.

Sed ſanctæ iſtius induſtriæ effectus, præcipuè experti ſunt, primi quos condendæ Societatis habuit ſocios; Faber, Xauerius, Laynius, Salmeron, alijque, in quos cæleſtis doctrinæ ſuæ lumina copiosè effudit, oſque tales ac tantos viros, quales poſtmodum ſuſpexit Eccleſia, efformauit.

In his Franciſcum Xauerium vanum etiam tum Adoleſcentem, qui nihil niſi dignitates, gubernacula, mitraſue animo voluebat ſuo, à mundi caſtris abſtractum ad Crucis vexillum traduxit. Illum rerum ſpiritualium prorſus rudem & inexpertum; prima vitæ ſanctioris elementa, atque vt ſic dicam, Alphabetum Diuinæ ſcientiæ edocuit, in eâque doctrinâ ita promouit, vt ad Apoſtolicæ Sanctitatis faſtigium fuerit euectus. Neque verò diſſimulauit vnquam Xauerius quantum eius diſciplinæ, & inſtructioni deberet. Illum totâ reliqua vita ſuâ, vt animæ ſuæ Parentem intimè veneratus eſt. Talem in literis ſuis identidem compellabat: ab eo conſilium exquirebat; ab eo documenta, quemadmodum ſe in Gentium conuerſione gereret, poſtulabat:

labat: Et hęc in eius, quę extant Epiſtolis frequenter occurrunt; vbi hæc eius verba legimus. *b Te ergo pater animæ meæ, ſummèq; mihi venerande, poſitis humi genibus: (ſic enim hanc tibi Epiſtolam ſcribo) tanquam ſi preſentem intuerer, ſuppliciter oro.* Et ex ijſdem diſcimus, hoc eum etiam tum feciſſe, cùm iam plures fundâſſet Eccleſias, cùm mortuos ſuſcitâſſet, opera Apoſtolica maxima patrâſſet.

In Epiſtolâ Cocini ſcripta *c* Anno M. D. XLVIII. optat cum ipſo, velut dilectiſſimo Parente, de multis quæ eius opem, remediumque poſcebant, conferre.

Eadem mens, idemque animus fuit aliorum Patrum, qui in ſcholâ Ignatij educati atque in ſpiritu fuerunt ab ipſo inſtituti.

Nam quia tantum capiebant ab eius præſentiâ & doctrinâ animæ ſuæ fructum, non poterant ab eo ſine magno, tenerrimoque ſenſu auelli.

Teſtabatur Iacobus Laynius, *d* profuſis etiam lacrymis, quoties in regiones remotiores proficiſcendum ipſi erat, nihil ſibi acerbius accidere, quàm quod à ſancto patre ſuo abeſſe cogeretur. Id ipſum profitebatur Simon Rodericius, qui nihil in mundo magis deſiderare ſe dicebat, quàm

F 2 vt

b *Ep. 9. l. 2.* c *Ep. 4. lib. 2.* d *Bart. lib. 4. n. 12.*

vt poſſet Ignatio conuiuere, eique vt mancipium ſeruire.

Eiuſdem rei teſtes multæ variorum extant literæ in quibus dulciſſimus quidam exprimitur dolor, & amoris ſenſus, quòd à tam charo Parente, & ſublimi perfectionis ſcholâ eſſent remoti. Caniſij ad quendam ſcribentis hæc ferè fuit ſententia; In iſta ſcholâ opulenta paupertas, ſubiectio libera, humilitas glorioſa, & nobilis quidam IESV Chriſti Crucifixi amor firmiſſimè docetur. Atque ego quidem, quoties menti meæ illius pulcherrimæ Philoſophiæ, quæ vobis Romæ copiosè traditur, forma objicitur, ſentio apprehendoque quantum boni Romæ poſſederim, & quantum inde diſcedendo amiſerim.

Porrò vt aliquid de ijs quæ in iſta ſcholâ ſuâ Ignatius docebat, attingamus; præter ea quæ refert Caniſius, aliaque quę in Conſtitutionibus ſuis magnus ille Magiſter deſcripta nobis reliquit, vniuerſim ad hoc potiſſimum ſuos incitabat, vt eſſent, ſicut loquimur, Homines interni: ſeipſos aſſiduè vincerent, voluntates ſuas ad pedem Crucis Chriſti frangerent, perturbationes, prauoſque animi motus domarent, ita vt rationi ad nutum parerent. Hęc in ſermone priuato, hæc in publicis perurgebat

bat adhortationibus, neque quicquam in ore habebat frequentius, quàm illud: *Vince te ipſum.*

Quod omnes eius Diſcipulos animo ſuo mirificè impreſſum habuiſſe, & Hiſtoriæ teſtantur, & oculis etiam ſpectauimus in ijs, quos noſtrâ ætate in Belgio ſuperſtites vidimus.

De S. Franciſco Xauerio referunt, cùm illud *Vince teipſum* ſuis etiam perpetuò inculcaret, miratum quempiam quod vir Apoſtolicus eadem toties recantaret, atque cur è tanto rerum, & ſenſuum ſpiritualium, quibus abundabat theſauro, aliud non referret percunctatum, hoc retuliſſe reſponſum: quia illud potiſſimum ab optimo Patre noſtro Ignatio didici. Quantum autem Apoſtolus ille, in iſtâ ſui vincendi paleſtra profecerit, & quâ ratione non mente ſolum & verbo, ſed & opere vincendi ſui ſtudium coluerit, notius eſt quàm vt recenſere ſit neceſſe.

Eumdem ſui ipſius vincendi ſpiritum, ſe in ſchola S. Ignatij hauſiſſe, luculentè demonſtrauit Franciſcus Borgia Gandiæ Dux, *e* cùm Romæ ad Societatem quidem à Sancto Patre admiſſus, necdum tamen Ducis inſignibus poteſtateque depoſi-

e *Orland. lib.*11. *n.*2. *&* 3.

tis, deſiderauit cibum cum Patribus ſumere; Et in medio Triclinio Menſæ paruæ, quæ pœnitentijs ſubeundis more Societatis aſſignata eſt, cum filio Ioanne de Borgia accumbere. Hîc ad maiorem animi demiſſionem, vt pietati eius mos gereretur, ſuper menſam obiurgator inductus eſt qui de more diſciplinæ, conuiuæ pœnitentis errata, noxaſque perſtringeret.

Alio die menſis ipſe cum filio capite ſemper aperto miniſtrauit, & lancium ſordes atque coquinaria vaſa deterſit. Quæ quidem eò maiori cum admiratione hominum accepta fuerunt, quo à Viro etiam tum inſignibus Ducalibus induto, & Aulæ ſplendoribus & commodis aſſueto, neque adhuc religioſum in contubernium recepto, gerebantur. Verùm exiguo tempore, ſub illo Magiſtro, tantum Vir illuſtriſſimus profecerat.

Is verò multis vijs induſtriſque ſuos ad virtutem, perfectionemque promouebat. *f* Inſtructiones verbo ſcriptoque illis dabat, Orationes, diſcuſſiones actionum internarum externarumque examina accurata, præſcribebat. Iubebat quotidiè veſperi rationem inire, quoties in vitium cui ſuperando operam dabat, quis incidiſſet, com-

f *Bart. lib.* 3. *n.* 43.

componiqúe diem cum die, numerum cum numero, vt quantum vel promouiſſet, vel receſſiſſet obſeruaret, atque ita vel à lucro, vel à iacturâ, animum ad maiorem profectum hauriret.

Alijs in conſuetudine familiari, moribuſque minus compoſitis, Regulas Modeſtiæ à ſe conſcriptas dabat explicandas, iubebatque de illis publicas inſtitui ab ijs adhortationes, vt dum alios illas docerent, ad eas impenſiùs obſeruandas, ipſi excitarentur. Subinde talibus hominem quempiam magnâ charitate, & prudentiâ præditum, velut ſyndicum aſſignabat, qui eis quotidiè errata in ipſis obſeruata, in chartâ deſcripta objiceret.

Quamquam conſuetudo illa manifeſtandi ſua inuicem errata, Sancti Patris tempore, non aliquorum particularium tantùm, ſed omnium prorſus erat communis: ſolebantque feriâ quauis ſextâ, omnes ad certum locum conuenire, vt ab alijs quatuor deſignatis, ſinguli de ſuis monerentur delictis. Et quidem in Collegio Romano, à P. Martino Olauio, viro grauiſſimo, initium fuiſſe factum accepimus.

Denique quamuis mirificè ſuos omnes diligeret, vt diximus, Vir Sanctus, non tamen vllâ amoris teneritudine eò ſe ſinebat

inflecti, vt cuipiam quamuis chariſſimo, indulgeret quippiam, quod vel ipſi obfuturum, vel alijs præuidebat bono non futurum exemplo.

Si literarum ſtudia alicui non prodeſſe animaduerteret; ſiue quòd altiores inde ſpiritus ipſe hauriret, ſiue quod in opinionum nouitates aberraret; ab illis hominem quantumuis carum, magnoq́ue præditum ingenio, remouebat; atq́ue dicere ſolebat, ſatis non eſſe quòd ſcientiæ alicui conuenirent, ſi non & ipſe ſcientijs.

Nicolao Bobadillæ vni è primis ſocijs, petenti vt liceret ex anguſto quodam & incommodo in quo degebat, cubiculo, ſibi ad aliud laxius migrare; renunciari iuſſit, vt potius in eo ipſo exiguo ſpatio ita aptaret, coarctaretq́ue reculas ſuas, vt duobus alijs quos deſignabat ipſi contubernales, locus parari in illo poſſet. Cui Bobadilla ſe perlibenter pariturum dixit, idq́ue opere præſtitit. Faciebat hoc ſanctus Pater, ne alijs Paupertatis incommoda declinandi prę beretur occaſio.

Atq́ue hæc quidem Sanctus Ignatius dixit docuitq́ue verbis, vt ſuos ad eminentis virtutis faſtigium promoueret. Verum id multo potentius, ſummę qua fulgebat ſanctitatis exemplo, perfecit.

g Con-

g Conſtat eos qui cum ipſo viuebant, ſolo ipſius aſpectu ad virtutem fuiſſe prouocatos. Id Ludouicus Gonzaluius Ioanni tertio Luſitaniæ Regi teſtatus eſt; cui reſcripſit, ſe quidem circumſpexiſſe omnia & diligentiſſimè Ignatium obſeruâſſe, pro vt Rex iuſſerat, & ita virtutum illius magnitudine atque excellentiâ captum eſſe, vt vel ſolo aſpectu ipſius, & oris compoſitione ac corporis motu, vehementer ſe ſentiret ad Dei amorem inflammari. Quocirca vel ex ipſo Ignatij intuitu, permultum ſe capere adiumenti. Neque verò vulgaris erat ipſe Gonzaluius, aut ſapientiæ aut virtutis, qui antequam in Vrbem veniret, filio Regis, Luſitaniæ Principi fuerat à confeſſionibus; & poſtmodum Sebaſtianum Regem, ſapientiſſimè inſtituit, atque ſubinde Societatis Aſſiſtens fuit.

Similia alij viri præſtantes de Sancto Ignatio prodiderunt. Petrus Faber ſummæ Vir ſanctitatis, prudentiæ & doctrinæ, primogenitus Ignatij in ſpiritu filius, & qui præ omnibus eius ſocijs dignus cenſebatur, qui Societatem vniuerſam poſt illum regeret; ipſum tanquam perfectiſſimum omnium virtutum exemplar, alijs proponebat. Eos qui ab ipſo conſi-

g *Ribad. lib.* 4. *c.* 17.

lium de perfectione conſequendâ petebant, aliosque omnes, ſeriò ac grauiter hortabatur, vt ſi celeriter & compendio, perfectæ vitæ excellentiam aſſequi cuperent, vnum Ignatium ſibi ante oculos ponerent, in illum intuerentur, ipſum imitarentur: ſic enim breui futurum vt omnes perfectæ virtutis numeros explerent.

Quibus verò virtutibus potiſſimum fulgeret Ignatius, paucis verbis expreſſit idem, quem ſupra laudaui Gonſaluius, quando dixit; ipſum fuiſſe viuam quamdam, & moribus ipſis expreſſam formam eius doctrinæ, quam Thomas à Kempis in libello de Imitatione Chriſti, eſt complexus. Quem librum ipſe perpetuò in oculis, animoque geſtabat. Potuit igitur efficaciter S. Ignatius ſuos hortari & inducere ad vnionem cum Deo, ad Crucis amorem, ad abnegationem ſui, ad mundi, rerumque creatarum omnium contemptum, ad paupertatem, humilitatem, atque vt eſſent homines interni, & ſui perpetuò victores; quę omnia in iſto libello grauiter, iteratiſque verbis & ſententijs docentur.

Et vt aliqua de eius actionibus ſigillatim referam, è quibus de alijs fieri poſſit iudicium: Pueros rudeſque Catechiſmo

chiſmo publicè docendo inſtituebat: ad ægrotantes etiam viles homines adibat; & cùm ſtatuiſſet, vt ſigno æris campani domeſtici monerentur; quoties de ægro quopiam iuuando nuntius domum adferretur, ipſe primus cum chlamide ad ianuam accurrebat, vt opem egenti adferret: Mulierculas quæ infami commercio corporis vſuram proſtituunt, ipſemet, vt ſuprà attigimus, conquirebat, à vitâ ſcelerata abſtrahebat, palam ſpectante Româ ad S. Marthæ, quod curauerat domicilium, deducebat. Et hæc quidem omnia cùm iam Præpoſiti Generalis officio fungeretur.

Ipſo porrò prædicti officij exordio, *h* quod non niſi admodum inuitus admiſit, vt quò altius aſcenderat, eò ſe gereret ſubmiſſius, exemploque ſuo omnes ad veræ humilitatis ſtudium prouocaret; culinam ſtatim eſt ingreſſus, in eâque per multos dies, & coquum agere, & alia vilia miniſteria domeſtica obire cœpit, tam accurate, ac ſeriò, vt quaſi nouitius aliquis, ſui tantum profectus causâ id facere videretur.

Decennio in eodem Præpoſiti Generalis officio tranſacto, *i* & Societate iterum per Bullam Iulij III. Pont. Max. confirmatâ, miſſionem ab illo munere petere conſti-

h *Ribad. lib* 3. *c.*2. i *Idem lib.*4. *c.*1.

conſtituit. Conuocatis igitur omnibus quos potuit è varijs Prouincijs Patribus, ſcriptam obtulit declarationem, poſtulationemque ſuam. Quâ in primis ſimpliciter, & abſolutè, vt loquebatur, Generalatum deponebat, & ſe officio illo priuabat, abdicabatque. Deinde poſtulabat, & obſecrabat, omnibus animæ ſuę viribus Patres, vt alium loco ipſius eligerent, qui officium illud (quo ſe indignum ob peccata ſua, & ad quod obeundum prorſus ineptum arbitrabatur) meliùs, aut ſaltem minus malè adminiſtraret. Et quamuis poſtulatio eius, vt par erat, omnium fuerit ſuffragijs reiecta; fructu tamen humilitatis, & illuſtris exempli omnibus exhibiti, non caruit.

Doctrina igitur S. Ignatij, verbaque vim obtinebant maximam apud eius ſubditos. Et vt B. Franciſcus Borgia dicere ſolebat, loquebatur tanquam poteſtatem habens, quia nimirum verba, non ſine operum comitatu de ore eius procedebant, neque docebat quicquam, quod ipſe non præſtaret.

Quanti verò faceret vitæ ſanctę exemplum, luculentè demonſtrauit, cùm in Conſtitutionibus ſuis illud potiſſimum in Superioribus voluit elucere. *l* Præpoſitum Gene-

P. 9. *c*. 2. §. 2. & 3.

Generalem vult eſſe virum, *cuius in omni virtutum genere exemplum, reliquos de Societate iuuet; & qui eiuſmodi ſit, vt in eo nihil, ne verbum quidem notari poſſit, quod non ad ædificationem, ſiue eorum qui de Societate ſunt (quibus ſpeculi, & exemplaris loco eſſe debet) ſiue externorum faciat.* Et alibi, cùm Rectorem Collegij deſcribit. m *Curandum*, inquit, *eſt, vt ille, cui Rectoris officium imponitur, magni ſit exempli, magnæ ædificationis, magnæ etiam mortificationis.*

Sectio Tertia.

Superior ſuos verbo & exemplo virtutem docere tenetur.

PRima, maximaque boni Paſtoris cura illa eſſe debet, vt oues ſibi à Deo commiſſas ad finem, quem ab illo Deus exigit, ſollicitè fideliterque ducat. Habent ſuos Reſpublicæ ſingulæ fines, ad quos totæ referuntur, & quos illi qui ijs præſunt, perpetuò habere præ oculis iubentur. Finis ſacræ cuiuſque Communitatis, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis eſt virtus, ſanctitas, & denique æterna ſalus. Huc curam omnem ſuam quiuis animarum Rector intendat, atque

m *P.*4. *c.* 10. *§.*4.

atque ſibi ſubiectos ad illum obtinendum finem ducat, oportet; idque ob rationes longè grauiſſimas.

Cùm Paulus Apoſtolus Aſiæ Epiſcopos ad illam excitare vellet curam, his vſus eſt verbis; *a Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.*

Non potuit grauiorem eis proponere rationem, quàm illam, quod Chriſtus ſanguine ſuo Eccleſiam, cui præerant, acquiſiuiſſet. Et quidem quod grex ille Dei, ſit tanti Domini ac Patris, curam profectò, ſollicitudinemque eius exigit ingentem: ſed quod non auro, vt alius dicit Apoſtolus, *b* aut alia re corruptibili, ſed ipſo ſanguine filij Dei fuerit redemptus; hoc enimuerò, vt quidam è Patribus dicit, vehementer ſollicitat & flagitat Paſtorum cuſtodiam, & curam; vnde meritò clamat, & vrget Bernardus: Attendite vobis quicumque opus miniſterij huius ſortiti eſtis: Attendite, inquam vobis, & pretioſo depoſito, quod vobis creditum eſt. Aliam inſuper, quæ ex priore illa conſequitur, rationem alibi indicat idem Apoſtolus, dum dicit: *c Præpoſitos rationem pro animabus*

a *Act.* 20. *v.* 28. b 1. *Pet.* 1. *v.* 18. c *Heb.* 13. *v.* 17

mabus ſubiectorum reddituros: de re nimirum ſummi pretij, quam Dominus illis propriam non addixit, aut donatione tranſtulit, ſed velut ſuam in eorum manibus depoſuit, & ſeueritate magnâ ab ijs repoſcet. De quo etiam per Sapientem illos præmonuit his verbis: *d Duriſſimum iudicium his, qui præſunt fiet.* Quæ quidem ſi omnibus, qui alios regunt, conueniunt, certè Eccleſiæ Prælatis, atque ijs præſertim, qui Religioſis præſunt cœtibus, maximè intentantur.

Hi namque propriè animarum ſunt Paſtores, à quibus Dominus, vti apud Prophetam minatur, cum irâ, & furore oues ſuas ipſorum vitio, incuriâ, indulgentiâ diſperſas, aut perditas requiret: *e Viuo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quod non eſſet Paſtor: neque enim quæſierunt Paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant Paſtores ſemetipſos & greges meos non paſcebant. Propterea Paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum* (ſiue vt Chaldæus, *ſuper Gubernatores mittam furo-*

rem.

d *Sap.* 6. e *Ezech. c.*34. *v.*8.9.10.

rem meum) & *ceſſare faciam eos, vt vltra non paſcant gregem.*

Maiores non arbitror poſſe proferri ſtimulos, quibus animarum Rectores excitentur, vt ſtudio vigilantiſſimo, labore indefeſſo, ſollicitudine perpetuâ in ſpiritualem ſubiectorum ſuorum profectum incumbant, neque ab ea curâ vllis ſe alijs abduci ſinant occupationibus.

Primò igitur rei familiaris, prædiorum, cenſuum, poſſeſſionum peculiarem curam, & adminiſtrationem, eâ tamen moderatione, quæ infra explicabitur, alijs relinquant, atque iſta in ſecundis reponant; ne, vt Gregorius Magnus loquitur, f *ita ſe vrgeri mundanis tumultibus ſentiant, vt interna quæ alios doceant, ignorent.*

Deinde etiam illa, quæ in ſe magna, ſanctaque ſunt, vt Conciones, Sacramentorum adminiſtratio, & ſi quæ talia, quæ ad populum ſibi non commiſſum adiuuandum ordinantur; ſi curam hanc ſpiritualem ſuorum impediant, vel retardent, omittenda ſunt: vel certè ita temperanda, vt huic non obſint. Huius enim rationem à Superiore Iudex ſupremus, eamque duriſſimam, vt dictum eſt, exiget: non illorum. Pium, ſanctumque opus erat, Baptiſmo

f *Paſt. p.* 2. *c.* 7.

ptiſmo homines initiare, Apoſtolus tamen ab eo abſtinuit, ne Euangelij retardaretur progreſſus: *Non miſit me*, inquit, g *Chriſtus baptizare.*

Tertiò, literarum ſtudia, libriqúe ad officium Paſtorale non pertinentes, tantiſper è manibus deponendi ſunt, eo tempore, quo Deus ſublimiorem à Superiore ſcientiam, regendiqúe artem adeò difficilem expoſcit: cui ſi totum ſe per plures annos addixerit, videbit ſemper ſupereſſe, quod in eâ addiſcat.

Concludamus igitur, eum animarum Rectorem, qui totum ſe ſuorum profectui ſpirituali addixerit, Deo ſupremo iudici plenè ſatisfacturum, ab eoque laudem prudentis & fidelis ſerui relaturum. Inſuper hoc quoqúe quod in poſtremis nequaquam numerandum eſt, impetraturum, vt ſubiectos ſuos, vt pote virtute præditos ſibi admodum habeat obſequentes, & ad omnia promptiſſimos. Non pigeat hoc à Saluſtio Ethnico quidem, ſed magni iudicij Hiſtorico diſcere. Qui Cæſari hoc dat conſilium. *Eniti decet, cùm ipſe bonus ac ſtrenuus ſis, vt quàm optimus imperites: nam peſſimus quiſq; aſperrimè Rectorem patitur.*

Quibus

g 1.*Cor*.1. *v*. 17.

Quibus verò modis inferiores ad virtutem & ſalutem promouendi ſint, ea quę retulimus, docent. Adhibendæ nimirum adhortationes, monitiones, inſtructiones: Suggerenda media, quibus à vitijs declinare, ad virtutes poſſint progredi, quorum copiam cùm libri editi abundè ſubminiſtrent, illis hic proponendis nihil neceſſe eſt immorari.

Vim porrò magnam illa apud hominum animos obtinebunt, ſi operum exemplis firmentur. Id Apoſtoli probè perſpexerunt, Petrus ſeniores, ſiue Epiſcopos, non modo hortatur, ſed obſecrat, vt munere Paſtorali hac in parte fungantur, ſubditoſque ſuos exemplo magis, quàm imperio ad optima quęque promoueant: *Paſcite*, inquit, *h qui in vobis eſt gregem, forma facti gregis ex animo.*

Et ipſemet non opere minus, quàm verbis ſuos ad virtutem excitauit. Eius exemplarem vitam, humilitatem, auſteritatem, parſimoniam obſeruauit, & poſteritati tranſcripſit Sanctus Clemens. *i* Nam cùm Petro aliquando dixiſſet paratum ſe ipſi ſeruire, ille mox repoſuit: an ignoras vitæ meæ rationem? Et quod ſolo pane & oliuis, & raro oleribus vtar? Quod vnâ veſte,

h 1. *Pet. c.* 5. *v.* 2. 3. i *Lib.* 7. *recogn.*

ſte, pallioque & hoc ipſo, vt vides, attrito contentus viuam? Hæc mihi ſat multa ſunt, neque quicquam requiro aliud. Æternis mea intenta mens, hæc infima deſpicit vniuerſa. Quod verò ſeruire mihi paratum te dicis: ſcito me, fratremque meum Andream, vitam pauperem, laborioſamque à pueritiâ egiſſe. Itaque me à iuuentute hominem operarium tibi potius eâ, quæ ſeruorum ſunt, exhibere patieris. Ad hæc verba ſtupefactus, inquit, Clemens, k & in lacrymas reſolutus ſum, quod tantum virum, cui eâ ætate nemo virtute & doctrinâ æquari poſſet, talia audirem de ſe proferre.

Eamdem Paulus quoque rationem tenuit, qui Theſſalonicenſibus ſuis *in labore,* inquit, l *& fatigatione noctu & die operantes, vt nos ipſos* n *formam daremus vobis ad imitandum nos.* Quod meritò in illo admiratur, & extollit Chryſoſtomus, his verbis: o *Ille Orbis præceptor, & Vir Cœlis dignus, manibus ſuis laborabat, artemque ſceno-factoriam exercebat.*

Humilitate igitur ſua admirabili, frugalitate, laborum aſſiduitate, ſobrietate, auſteritate,

k σύντρομος ἐγενόμην καὶ ἐπίδακρυς.

l 2.*Theſſ. c.*3. *v.* 7. n τύπον. o *Hom.* 40.*in Ep.* 1.*ad Corinth.*

ſteritate, Diſcipulis ad virtutem omnem prelucebat, & eos ad ſuum oculos intendere exemplum iubebat; quod paſſim in Epiſtolis ſuis inſinuat, & expreſſè in eâ, quam ſcripſit Philippenſibus: *p* Vbi *imitatores*, inquit, *mei eſtote fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. q*

Quemadmodum verò typum ſeu formam ſe Diſcipulis ſuis imitandam exhibebat; ita omninò Epiſcopos à ſe conſtitutos volebat, ſuis quoque ſubditis exemplum præire.

Timotheo igitur præcipit: *r Exemplo eſto fidelium in verbo, in conuerſatione*. Et Tito: *ſ In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum*. Nam illa, *t prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra &c.* ad profectum animarum, non exiſtimat magnus ille animarum Rector, Timotheo ſufficere; niſi etiam præclarum adderet, operibus exemplum, & ſe velut typum oculis ſuorum, quem imitarentur, proponeret. Inualidam ergo fore omnem doctrinam, niſi operum exem-

p C.3. v.17. q τύπον. r 1 *Timot*.4. v.12. τύπος γίνȣ. ſ *Tit*. c 2. v. 7. τύπον καλῶν ἔργων. t 2. *Tim*. c. 5. v.2.

exemplis firmetur, magnis illis oſtenſum eſt auctoritatibus. tt *Dicta enim factis deficientibus erubeſcunt.* Et ſanctæ quoque Eccleſiæ hunc eſſe ſenſum, hinc diſcimus, quòd nos pro ſummo Paſtore, ac Rectore ſuo orare iubet, *vt Deus det illi verbo & exemplo, quibus præeſt proficere.* Sed libet etiam pro auctario adjicere, quid viri ſancti, Doctoreſque Eccleſiæ ſcriptum nobis hac de re reliquerint.

In primis S. Bonauentura dum Prælatum alis ſeraphicis adornat, quartam ponit exemplarem vitam, *u* eumque vult eſſe ſimilem Geometriæ Magiſtro, *qui quod verbis docet, in ſabulo,* inquit, *pingit vt melius capiatur.* Et demum concludit: *Doctrina verborum ſine exemplo operum, eſt ſicut cæmentum ſine calce, aridum & inualidum.* Similiter Bernardus. *x Monſtruoſa res,* inquit, *gradus ſummus, & animus infimus; Sedes prima, & vita ima, lingua magniloqua & manus otioſa.* Et Gregorius Magnus. *y Sit Rector operatione præcipuus, vt vita viam ſubditis viuendo denunciet, & grex qui Paſtoris vocem moreſque ſequitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur.* Magnifice

tt *Tertul. lib. de patientia.* u *De 6. Alis. c. 6.* x *Lib. 2. de Conſid.* y *Paſt. p. 2. c. 3.*

ſice verò more ſuo Hieronymus. z *Non confundant opera tua ſermonem tuum; ne cùm loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus Magiſter eſt qui pleno ventre de ieiunijs diſputat. Accuſare auaritiam & latro poteſt.* Et Chryſoſtomus. α *Nihil Doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philoſophatur. Neque enim hoc Doctoris eſt, ſed Hiſtrionis & Hypocritæ.* Et idem, ſiue quis alius in Matthæum: *Audiant te homines parua mandantem, & grandia videant facientem.* Huc pertinet id quod in Sancto Malachia Hiberniæ Archiepiſcopo laudat Bernardus. β *Erat*, inquit, *ipſe regula fratrum, legebant in vita eius, quo modo conuerſarentur.* Denique quam perniciosum ſit, ſi à Paſtore praua gregi agendi exempla præbeantur, obſeruauit Auguſtinus. γ *Attendit*, inquit, *Ouis Præpoſitum ſuum malè viuentem, & intendens in hominem, incipit dicere in corde ſuo: Si Præpoſitus meus ſic viuit; ego quid ſum, qui non ſaciam quod ille facit?*

Itaque meritò pronuntiauit Gregorius: δ *Si*

z *Ep.* 2. *ad Nepotian.* α *Hom.* 1. *in Act. Ap.* β *In eius vita.* γ *De Paſt. c.* 4. δ *Paſt. p.* 3. *adm.* 5.

Si Prælati peruerſa vmquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt.

Si quæras in quibus potiſſimùm Superiorem ſuis exemplo prælucere oporteat: Reſpondet Bonauentura, ε *In omnibus virtutum exemplis debet Rector præcedere ſubditos; ſpecialiter tamen in his tribus. Primò in communis obſeruantiæ conformitate; nimirum vt communem vitam cum cæteris obſeruet in victu, veſtitu, laboribus; nec à labore cæterorum ſe ſubtrahat, qui illos iubet in eiſdem laboribus exerceri.*

Secundò in manſuetudinis humilitate: hoc eſt, vt mores eius oſtendant eum non alta de ſe ſentire, nec affectare Prælationem, ſed timere, & coactum tenere, & magis deſiderare ſubeſſe; & eos, quibus præeſt meliores ſe iudicare, & eorum potius ſe ſeruum quàm Magiſtrum vel Dominum reputare. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis.

Tertiò in maturitatis honeſtate; vt ſcilicet non ſit leuis in moribus, videlicet in verbis, & rixis ſcurrilibus, & irreligioſis, quæ licet in ſe quandoque quaſi grata

ε *Cap. 6. cit. n. 2.*

grata putentur, minùs tamen reuerendum faciunt. Ipſe verò amor aliquo modo ſuauior ſentitur cum reuerentiâ mixtus. Quod patet in amore ſummi Conditoris, cuius quò Majeſtas ſublimior agnoſcitur, dignationis dulcedo cupidiùs amatur.

Item non ſit leuis in affectu per priuatos amores. Item non ſit leuis in propoſito, & inconſtans in conſilio, vt quod iam placet, modò diſpliceat.

Hæc ferè Bonauentura nonnullis omiſſis, quæ in eius opuſculo quod eſt præmanibus, videri poſſunt.

CAPVT SEPTIMVM.

Qualis in vitiorum correctione Zelus à Superiore adhibendus ſit.

E Charitate velut diuinâ quadam ſcaturigine manat beneuolentia, eamq́ue ſubſequens beneficentia, quæ & in corpora; & in mentes carorum ſe effundit. Ex eodem fonte naſcitur Zelus, vehemens quidam ignis, animiq́ue impetus, qui ea quæ dilecto aduerſantur, inuicto æquè ac conſtanti molimine repellit. Hic ardor amorem

amorem vbique comitatur, & vbi amor eſt, ibi Zelus eſt, & vbi Zelus deficit, ibi & amorem extinctum, aut ſanè languidum eſſe oportet: *quantùm enim res diligitur*, inquit Bonauentura, [a] *tantùm de eius deſtructione doletur*. Et Deus, vt auctor eſt Dionyſius, [b] *vocatur Zelotes propter multum amorem, quem habet ad exiſtentia.*

Iam verò malum maximum, quod & Deo & homini dilecto aduerſatur, peccatum eſt, & ea quæ illi connexa ſunt, ignorantia, error, praui affectus, aliaque quæ ad illud viam ſternunt. Contra illa tantopere Dilecto inimica, quiuis charitate accenſus animus inſurgit, eáque, quantùm poteſt, emendat, corrigit, & eliminat. Vnde Bonauentura: *Quantùm diligis Deum, & quæ ſunt Dei purius deſideras, tantùm doles de offenſâ Dei, & quantum diligis ſalutem proximi, tantum affligeris de perditione illius, & nocumento profectus eius.* Et quidem cùm Chriſtianum omnem Diuinâ hac charitatis flammâ & Zelo accenſum eſſe oporteat, tum maximè eo ardere animarum Rector, non vt Chriſtianus ſolum, ſed lege etiam eius, quo fungitur, officij, tenetur. Non enim ſibi

a *De 6. Alis c.*3. *n.* 1. b. de diu. nom. c. 4.

dumtaxat vt priuatus quiſque, verùm aliorum bono à Deo eſt deſignatus: quod & ſuprà oſtendimus, & Auguſtinus in eâ quam de Paſtoribus ſcripſit, Oratione ſapienter docuit. *b Nos enim*, inquit, *quos in loco iſto, de quo periculoſa ratio redditur, Dominus ſecundum dignationem ſuam, non ſecundum meritum noſtrum, conſtituit, habemus duo quædam: Vnum quod Chriſtiani ſumus; alterum quod Præpoſiti ſumus. Illud quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt, quod autem Præpoſiti ſumus, propter vos eſt. In eo quod Chriſtiani ſumus, attenditur vtilitas noſtra, in eo quod Præpoſiti, non niſi veſtra.* Si ergo quiuis Chriſtianus ex lege charitatis Zelum ſuum ſubinde exercere, & proximum corrigere tenetur, id multò magis à Præpoſito Deus requirit; non modò quia Chriſtianus, ſed quia totus ad gregis ſibi commiſſi vtilitatem deſtinatus eſt. De quo niſi in virtute, & ſanctitate proficiat, periculoſa, vt Auguſtinus loquitur, ei ratio reddenda eſt.

Primùm igitur quâ ratione Paſtorum Princeps Chriſtus, ſuos nonnunquam à recto aberrantes correxerit Diſcipulos, videndum eſt.

SECTIO I.

b *Cap*. 1.

Sectio Prima.

Quali, in correctione, Zelo vſus ſit Chriſtus.

AMore ardentiſſimo, vti diximus, Dominus ſuos proſequebatur. Pari igitur Zelo contra eorum peccata, & vitia accendebatur. Nihil proinde vitioſum in illis oculo diſſimulationis præteribat, aut blandiendi, placendiue ſtudio indulgebat. Neque verò deerant in Diſcipulis rudibus, etiam tum & impolitis, tardis, obliuioſis; è nauibus, opificijs, telonijs aſſumptis, quæ cæleſtis corrigeret Magiſter. Quod & ipſimet Apoſtoli, Hiſtoriæ Euangelicæ ſcriptores, non dubitârunt poſteris enarrare.

Quæ quidem omnia cùm vitam Chriſti euoluenti ac meditanti paſſim occurrant; tum illud nobis hîc potiſſimum obſeruandum eſt, quàm admirabili ſuauitate ac ſapientia Paſtor ille Diuinus, oues ſuas à morbis, quibus infeſtabantur, perpurgârit. Nunc enim tacendo ſuos correxiſſe eum videbimus; aliàs loquendo; nunc placidis verbis monuiſſe, aliàs aſperis reprehendiſſe; ſæpe priuatim, publicè non-

nunquam eos increpâſſe: atque illud omnino obſeruandum, quod alio prorſus orationis genere erga Diſcipulos, quàm erga alios, à Patre ſibi non ita commiſſos, vtebatur.

Pharíſæos certè & Iudæos dum arguit & reprehendit, grauiſſimis inſectatur verbis; hypocritas, ſerpentes, genimina viperarum, generationem adulteram, diaboli filios vocat. At ſuauius diſcipulos compellat, ſiue quia non tam grauiter delinquebant; ſiue quia illos vt filios, paterno docebat affectu, atque benignitati ſuæ nouerat propensè parituros.

Hoc tum maximè patuit, quando è Lunatico dæmonium eiecit; *c* Patrem enim eius in genua prouolutum, principiò ſeueris excepit verbis. *O generatio incredula & peruerſa quo vſque*, inquit, *ero vobiſcum? vſquequo patiar vos?* Hoc dixit, & nihilominus memor miſericordiæ ſuæ, fecit clementius; puerum eâ ipſa horâ curauit. At diſcipulos alio ſui officij monuit modo. Priuatim & placidè ipſis indicauit cauſàm, cur dæmonium illud expellere non potuiſſent, fuiſſe eamdem incredulitatem quâ & ipſi, tametſi non tam grauiter, laborabant. Itaque ad maiorem fidem

*c Matt.*17. *v.*14.

fidem, fiduciamque atque etiam ad ieiunium & orationem, quibus machinis illud dæmoniorum genus debellandum erat, ipſos eſt adhortatus.

Pauerat in deſerto Dominus quinque hominum millia: *d* viderant hoc Apoſtoli, panes diſtribuerant, fragmenta multò plura collegerant; & tamen cùm non diu pòſt, quatuor millia idem Dominus miſericordiâ motus paſcere vellet: dicunt ei diſcipuli. *e Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam?* Nonne tunc meritò Dominus iraſci tam exiguæ Diſcipulorum fiduciæ, quin imò ſtupiditati poterat: eoſque acriter obiurgare, quòd potentiam ipſius ac ſapientiam, cuius tanta viderant opera, in dubium reuocarent? Nihil tamen benigniſſimus dixit Dominus: ſed opere ipſo illam Diſcipulorum ægritudinem ſanauit; ſeptem panes, pauculoſque piſces, turbæ diſcumbenti iuſſit diſtribui, omniumque famem ita expleuit, vt fragmenta, quæ reliquerant, collecta, ſeptem vix caperent ſportæ. Tum erràſſe ſe vtique vehementer Diſcipuli agnouerunt, quod de Domini prouidentiâ tam anguſtas fouiſſent cogitationes. Et hoc ipſe Matthæus, qui intererat,

 voluit

d *Matt*. 4. *v*. 15. e *Cap*. 15. *v*. 32.

voluit à poſteritate non ignorari.

Paucis ante Paſſionem, mortemque ſuam diebus *f* cùm menſæ Dominus apud Simonem Leproſum accumberet, Magdalena more ſuo in ipſum benefica & profuſa, vnguentum magni pretij pedibus eius, capitique largâ impendit manu. Hoc Iudam hominem auarum malè habuit, neque impetrare à ſe potuit, vt indignationem illam ſuam celaret. Vnde & alios ita mouit Diſcipulos, vt indignati & ipſi dixerint: *vt quid perditio hæc, potuit enim vnguentum iſtud venundari multò & dari pauperibus?* Verum murmuris iſtius auctor, & incentor Iudas, vt Auguſtinus obſeruauit *g* propterea hoc dixerat, quia fur erat: cæteri vero propter pauperum curam. Hanc tam ſplendidam murmurationem, non minus in Magdalenam quàm in ſe contortam, Dominus cognouit, neque diſſimulauit, ſed palam placidis correxit verbis: *Quid*, inquit, *moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me.* Erratis: non eſt hæc perditio, ſed opus bonum; neque ratio veſtra quicquam euincit. Nam ſi tanta vobis eſt Pauperum cura, illam ſemper exercere fas erit.

f *Matt.* 26. *v.* 6. *Io.* 12. *v.* 1. g *De Concord. Euang. lib.* 2. *c.* 69.

erit. At mihi mors imminet, & mulier hæc, quamuis ignara Diuini conſilij, corpori meo breui ſepeliendo, ſuprema perſoluit iuſta. Hæc ita generatim Dominus, neque auctorem murmuris, furemque Iudam nominauit, neque reprehendit. Sat illi fuit tacitè mortis memoriam ſuæ ipſi obieciſſe, vt ita à ſcelere, quod mox aggreſſurus erat, abſterreretur, neque ſibi perſuaderet eam à Domino declinandam. Hanc Domini mentem fuiſſe Chryſoſtomus obſeruauit ipſumque ita loquentem inducit. *h Moleſtus ſum, & grauis, ſed expecta pauliſper, & migrabo, ſed tu vide, ne me prodendo, mortis meæ opifex exiſtas, ne tibi ipſi mortem & gehennam adſciſcas.*

Eumdem verò Iudam quanta curâ & induſtriâ Saluatoris benignitas conata eſt ad mentem ſaniorem reuocare? palam omnibus Diſcipulis diſcumbentibus, ſibi perſpectam hominis nefarij proditionem, non vno modo demonſtrauit. Dixit primò: *i Amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt.* Neque hoc tantùm, ſed vnus *qui intingit mecum manum in paropſide.* Neque hoc ſatis, vt videret Iudas patere ſua conſilia, panem intinctum ipſi porrexit; Et cùm iſtis non molliretur, mi-

h *In cap.* 12. *Ioannis.* i *Matt.*26. *v.*21.

nas graues adiecit. *k Væ homini illi, per quem filius Hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Ita vulnus occultum cùm manifeſtare nollet Diuinus Medicus, potentiſſimis nihilominus iteratiſque, ſæpius ſanare conatus eſt medicamentis. Neque curam ſuſceptam, quamuis eò vſque inutilem, dimiſit, ſed etiam tum, cùm crimen hominis maleſani in horto apertè erupiſſet, complexu ſuo, ac oſculo proditorem eſt dignatus, atque amicum compellauit. Ita modo occultè, modò palam, amantiſſimus Pater filium perditionis ſeruare, ſummo ſtudio laborauit.

Feliciore Diſcipulos alios omnes ſucceſſu non ſemel correxit, idque verbis, & factis. *l* Venerat cum illis Capharnaum, & cùm pluſquam humanâ ſua ſcientiâ cognouiſſet eos ambitionis cupidine actos, in viâ inter ſe diſputâſſe, quis eorum eſſet maior, *m* Nequaquam inſignem illum ſuperbię vaniſſimę typhum, voluit in ſuis diſſimulare. Itaque curam eius aggreditur, neque ex abrupto eos adoritur, ſed benignè primùm; cùm domi eſſent ad ſe vocatos duodecim interrogauit. *Quid in viâ tractabatis? At illi tacebant:* Nimirum deprehenſos ſe miſeri cùm viderent, rubore

k *Io.*13. l *Matt.*18. *v.* 1. m *Matt.*9. *v.* 32.

re ſuffuſi, obmutuerunt; Tum verò vſus hac eorum verecundiâ Dominus, toto cœlo illos errare docuit: eum enim, qui primas ambit, oſtendit fore omnium poſtremum: & puero paruulo in medium producto, hunc ipſis propoſuit, ac dixit: *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et ſi quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus & omnium miniſter. At qui ſe humiliauerit ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum.* Ita non minus efficaciter, quàm ſuauiter ambitionis morbo fecit medicinam. In quod vitium ſæpè aliàs lapſantes Diſcipulos, identidem humilitatis Doctor erexit, ſuo etiam prolato exemplo, qui cùm Dominus eſſet omnium, erat tamen inter eos ſicut is, qui miniſtrat, atque ſe veniſſe aſſeruit vt miniſtraret, non vt ſibi miniſtraretur. *n*

Quin immò nec minimas vanitatis fibras eſt paſſus in Diſcipulorum cordibus agere radices, & illico ad earum extirpationem manum admouit.

Miſerat ſeptuaginta duos Diſcipulos, *o* tamquam prodromos ſuos ad loca, quò erat ipſe venturus. Iuſſerat vt infirmos cu-

n *Matt.* 20. *v.* 28. o *Luc.* 10.

rarent; Reuerſi ſunt cum gaudio dicentes: *Domine etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*; non modo infirmos, vti iuſſeras, curauimus: ſed nomine tuo interpoſito, etiam malignos ſpiritus abegimus. Quid ad hæc Dominus, qui Diſcipulos vanitatis quadam aurâ extolli immoderatius obſeruabat? Vt tumentes ſucceſſu illo animos deprimeret, hoc tantùm obiecit: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Quaſi diceret: magno impetu Spiritus ille ſplendidus de cœlo in abyſſum deturbatus fuit: nempe, quia luce ſuâ nimium ſibi placuit. Cauete ne & vos aurâ illa fauente & ſecundâ vobis applaudatis, atque in abyſſum ob ſuperbiam ruatis.

Benignè plerumque Dominus ſuos correxit, ſed nonnunquam etiam ſeuerius; atque eos etiam quos præ alijs videbatur amare impenſiùs. E Galilæâ Hieroſolymam proficiſcebatur, *p* per Samariam tranſeundum erat. Præmiſit Ioannem & Iacobum, qui in vico proximo victum pararent tenuem. Samaritæ, quod illos Hieroſolymam cogitare animaduerterent, durius exceptos reiecerunt: Ioannes & Iacobus, ſiue quod ob propinquitatem cum Chriſto

p *Luc.* 9. *v.* 51.

Chriſto arctiorem, iniuriam ipſi illatam grauius ſentirent; ſiue quod de ſuo quoque qui ad hoc deſtinati erant, agi honore crederent, repulſam illam ægriùs tulerunt. Memores itaque Eliæ Prophetæ, q qui quinquagenarios igne de cœlo euocato extinxerat, vindictæ cupidine accenſi, ad Dominum, *Vis*, inquiunt, *dicimus, vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* illam Samaritanorum inhumanitati pœnam Zelus eorum debitam iudicabat. r At verò Dominus conuerſus, increpauit illos dicens: *neſcitis cuius ſpiritus eſtis; filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.* Oſtendit eos errare, & parum in ſcholâ ſuâ profeciſſe, qui cùm ſe Zelo recto agi crederent, vindictæ impellebantur æſtu. Humilitatem verò, patientiam, manſuetudinem, quam ipſis toties prædicârat, non erant aſſecuti.

Dominus, inquit Hieronymus, ſ *qui non ad iudicandum venerat, ſed ad ſaluandum; non in poteſtate, ſed in humilitate, non in Patris gloria, ſed in hominis vilitate: increpat illos, quod non meminerint doctrinæ, ac bonitatis Euangelicæ.* Per illam enimuerò longè plus promoueri,

q 4. *Reg.* 10. r *Addunt Græci.* ὡς καὶ Ηλίας ἐποίησε. ſ *Ad Algaſiam.*

moueri, quàm per vindictam, ignem, & ferrum, & Dominus docuit, & euentus comprobauit. Nam vt obſeruauit Ambroſius, Samaritani, à quibus ignis arcetur, citiùs crediderunt.

Petrum verò, quem & plurimùm æſtimabat, & Paſtorem Summum Eccleſię ſuę deſignabat, ſicubi impingeret, non indulgenter emendabat. Modò præſumptionem eius reprimebat; Aliàs modicam fidem arguebat: ſubinde coram omnibus, non ſine aliquo eius pudore, verbis acerbioribus reprehendebat.

Nam cùm prædiceret Dominus, quæ euentura erant *t* nimirum ſe multa paſſurum à ſenioribus, ſcribis & Principibus Sacerdotum, ſe ab ijs occidendum; deniq́ue & poſt illa reſurrecturum. Petrus qui ardenti erga ipſum amore ferebatur, *timuit*, ait Auguſtinus, *u ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat viuentem.* Et miſerantis magis, quàm obiurgantis affectu ſeorſim, & clam cœpit increpare illum dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ne queſo hoc permittas, &, vt Græcus loquitur, *x* parce tibi ipſi, miſerere potius tui, Domine, ne ad tantam indignitatem te ſinas

t *Matt.* 16. *v.* 21. u *Serm.* 13. *de verbis Domini.* x ἵλεώς σοι κύριε.

nas deduci. At Dominus ad illum conuerſus, ſeuerè, *Vade*, inquit *poſt me Satana, ſcandalum es mihi : quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum* : quaſi dicat : faceſſe è conſpectu meo ; aduerſaris enim mihi, quod Satanæ proprium eſt, & me zelo tuo præpoſtero, ab hominum ſalute procurandâ, & à Patris voluntate adimplendâ vis retardare. Non hæc Pater meus cœleſtis tibi inſpirauit, vt illa quæ nuper de me prędicâſti : ſed à carne, & ſanguine, ab humano erga me affectu, iſta originem trahunt. Ita cœleſtis Magiſter eum, quem paulò ante Beatum, & Eccleſiæ petram, fundamentum & caput declarârat, verbis caſtigauit. Et quidem id quod ſeorſim, & occultè dixerat Petrus, hoc publicè coram omnibus Diſcipulis reprehendit. Tum quia id ſine graui Petri detrimento & cum magno aliorum fructu fiebat : tum quia omnes inde magni iſtius Apoſtoli modeſtiam cognoſcebant, & futurorum certiorem acquirebant notitiam.

Sed illam Eccleſiæ futuram aliquando columnam, grauius lapſam erigere benignè Dominus eſt dignatus, quando ad puellæ vocem Apoſtolus ille, tanta paulò ante de ſe pollicitus, negauit ſe ipſum nouiſſe. Non exclamauit contra illum mitiſ-

ſimus

ſimus Dominus, acerrimorum hoſtium ſuorum vinculis adſtrictus, non increpauit illum, non vocauit tunc Satanam; non reprehendit, immo ne quidem verbum locutus eſt: ſed infirmitatem amantis ſe miſeratus, Petrum aſpexit: *Vocem*, inquit Chryſoſtomus, *y dimiſit per ipſum intuitum, non enim ore locutus eſt, ne ipſum forte inter Iudæos redarguat, & proprium confundat Diſcipulum: ſed per oculum dimittens vocem; quaſi diceret: Petre, quod dixi, factum eſt. Igitur Petrus tunc ſentiens, cœpit flere: & non fleuit modò, ſed amarè: ſecundum baptiſma per lacrymas ex oculis oſtendens, cumq; fleuiſſet amarè, deleuit peccatum.*

Poſtremò cùm ſoleant homines, quando à caris ſuis diſcedunt, blandis eos delinire verbis, & dolorem quem abeundo creant, ſermone mitigare; è contrario Dominus in cœlum abiturus *z recumbentibus vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*: quod Sanctus Bernardus ponderans: *a audis*, ait, *Chriſtum Diſcipulos*

y *Hom.* 9. *de Pœnit.* z *Mar.* 16. *v.* 14. ὠνείδισε τὴν ἀπιςίαν ἀυτῶν καὶ σκληροκαρδίαν. a *Serm.* 1. *de Aſcenſ.*

cipulos increpantem ; immo quod durius eſt , etiam exprobrantem , nec quandocumq; ſed eâ horâ , quâ eis corporalem præſentiam ſubtracturus; videri poterat magis ab increpatione parcere debuiſſe. Cur autem ita egerit Dominus varias Patres rationes commentantur. Gregorius factum arbitratur, vt arctius impreſſa eorum mentibus vltima illa fidei verba remanerent. Auguſtinus vt Gentibus, qui Chriſtum etiam non viderant, Euangelium tantò firmius prædicarent.

Illud nos hinc diſcamus, boni Paſtoris officium eſſe nullum in Ouibus ſibi commiſſis erratum diſſimulare, aut inemendatum relinquere.

SECTIO SECVNDA.

Qualis fuerit Sancti Ignatij in ſuorum vitijs corrigendis Zelus.

HOc ipſum Zeli ardentis officium S. Ignatius nobis repræſentauit. Nihil ille, exemplo Christi, in filijs ſuis, quos, vti expoſuimus, ardentiſſimè diligebat, vitioſum tolerabat, nihil negligebat, nihil incorrectum diſſimulabat. Verùm id admirabili quodam & donato à

Diuinâ

Diuinâ Sapientiâ artificio exequebatur. Neque enim eadem errata eodem ſemper modo emendabat, ſed diuerſo, in diuerſis perſonis. Quin immò eiuſdem hominis diuerſo modo diſpoſiti, non eodem modo corrigebat delicta.

Opere ſpectandum nobis exhibuit id, quod Gregorius Magnus docuit. *a* Nimirum ei qui animas regere, & ad optima vult mouere, atque næuos eorum corrigere, peritum imitandum citharœdum, qui chordas in citharâ tenſas, *vt non ſibimet ipſis diſſimile canticum faciant, diſſimiliter pulſat, & idcircò chordæ conſonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, ſed non vno impulſu feriuntur.*

Quod, vt poſſet Ignatius, in primis à Deo lumen, opemque aſſiduè orationibus ſuis poſtulabat. Deinde verò exactiſſimè cuiuſque genium, indolemque, & naturæ, atque gratiæ motus omnes rimabatur, animęque fundum penitus perſpiciebat. Et cùm ad Diuinæ, quâ abundabat, illuſtrationis claritatem, experientia & naturalis quoque eius accederet ſagacitas, facilè è cuiuſque ſermone, geſtu, actioneque, quæ in animo eius gererentur, coniectabat, deprehendebatque vt aiunt, ex ungue leonem;

a *Paſt. p.* 3. *in prologo.*

leonem; ita vt velut anatomiâ quadam mentis cuiuſque factâ, melius quemque cognoſcere, quam ille ſeipſum videretur. Nôrat itaque diſcernere quâ viâ animus cuiuſque eſſet permouendus, familiarine ſeu comi, an graui; ſeuerâ an leni; candidâ, apertaque, an occultatâ & velut ex inſidijs; atque eâ, quam moribus languentis conſentaneam cenſebat, ratione vtebatur. Ita ſummam Zelo ſuo adiungebat prudentiam, atque morbos animi eâ curabat arte, vt omninò iuuarentur, non exulcerarentur infirmi.

Quocirca ad inſtar boni Paſtoris, non baculo ſolùm, ſed & fiſtulâ, ſibiloque gregem regebat, neque baculo, pœniſque vtebatur, quamdiu ſibilo, lenique aliquo ſigno errantes in viam poſſet reuocare. Hoc de eo proditum accepimus, quod in familiari cum domeſticis colloquio, ſi quod alicui minus conſideratum, minuſue digeſtum verbum excideret; tametſi Vir Sanctus verbum nullum proferret, ſolo tamen oculorum aſpectu, vultuſque eius mutatione, officij ſui qui aberrabat, ſe monitum ſentiret. Atque ita quidem oculis aſpectuque teneriores ſubinde delinquentes corrigebat; aliàs verò laudando magis quàm reprehendendo ad errati cuiuſpiam

iuſpiam emendationem, hominem excitabat.

Tyronem quemdam oculis liberiùs circumſpicientem, *b* vultu verbiſque affatus amantiſſimis: Frater mi Ioannes Dominice, ita vocabatur: Ecquid, inquit, præclaram illam mentis tuæ, quam tibi Deus dedit, modeſtiam, non prodis etiam oculis? Ita tenellum monuit Nouitium; Nam erga hoc genus hominum, præſertim ſub primis exordijs, ſummâ vtebatur benignitate, atque illos veluti teneras è mundo in Religioſum fundum tranſlatas plantulas, quibus adhuc multum terrę profanæ adhæreſcit, magnâ cum dulcedine ad virtutem erudiebat, Dei imitatus exemplum, qui animas ad ſe recens conuerſas, vt à mundi abſtrahat vberibus, ſolatijs lactat Diuinis.

Simili lenitate varijs occaſionibus cum Nouitijs, alijſque ſiue tentatione aliquâ perturbatis, ſiue virtute parum firmâ præditis; eum conſtat egiſſe. At veteranis, & ijs quos robur ſpiritus nouerat aſſecutos, longè minus parcebat. Narrauimus ſupra, vt Bobadillam aliquid poſtulantem, quod Paupertatis ſanctæ perfectioni repugnare videbatur, correxerit.

Oliue-

b *Bartol. lib*.3. *n*.37.

Oliuerium Manaræum audiuimus referentem, quid ipſi hoc in genere acciderit, quod etiam Societatis noſtræ Hiſtorici non prętermiſerunt. Româ is Lauretum, vbi primus fuit Rector ab eo conſtitutus, diſcedebat, ratus non amplius in terris ſanctum Patrem ſe viſurum. Dum extremum ei valediceret, oculos in vultum eius defixit attentiùs. Diſſimulauit id tum temporis Vir Sanctus: ſed mox Polancum ſubmiſit, qui ipſi abeunti indicaret, diſplicuiſſe non parum Patri noſtro audacem iſtam oculorum eius licentiam, velle omninò vt eam corrigeret; particulari itaque, vt loquimur, examine, in næuum iſtum inquireret, atque tam pro pœnâ culpæ præteritæ, quàm pro cauenda futurâ, certum quotidie orationum numerum recitaret, atque de ſuo hac in re profectu, quot ſeptimanis ad ipſum per literas referret. Quindecim totis menſibus Oliuerius iniunctam illam pœnam executus, ceſſare tandem eſt iuſſus.

Iam quamuis nemini delinquenti parceret, id tamen in eo obſeruatum teſtatur Ribadeneira, *c* quòd obiurgationibus ita ſermonis grauitatem adiungeret, vt acerbitas omnis abeſſet; neque verbo mor-

c Lib. 5. *c.* 6. *&* 7.

morderet quemquam, ſed rerum ſeuerâ explicatione compungeret. Neque enim vllum, cùm aſperius etiam increparet, vocabat, aut non obedientem, aut ſuperbum, aut inertem & pigrum; ſed quid cuique ineſſet vitij, id rei explanatione oſtendebat. Hæc ille: qui etiam addit quiddam, non exiguâ dignum admiratione, quod à ſe, alijſque viſum obſeruatumque aſſerit, vt in tantâ hominum multitudine, nemo ferè ab Ignatio aut verbis caſtigatus, aut pœnitentiâ aliquâ grauiore affectus, indignaretur; nemo in obiurgantem irâ, vel aliquâ perturbatione incitaretur, ſed in ſeipſum exardeſceret, qui deliquiſſet. Nempe id quod in Propheta Rege laudat Gregorius. *d Nouerat in ſuis id quod facti erant, diligere, & quod faciebant, increpare. Errantes non ceſſabat reprehendere, & reprehenſos non negligebat amare.*

Quænam autem vitia S. Pater inſectaretur ſeueriùs, ab eodem Ribadeneira refertur; nimirum quæ periculoſa, quæque vel exemplo inficerent, vel contagione ſerperent.

Grauiter etiam animaduertebat in eos, qui vel obſtinati & inſanabiles, vel ſeditioſi, & fraternæ pacis concordiæque perturbatores viderentur; vel opinionibus

certe

d *Paſt. p.*3. *c.*23.

certe turgidi, atque inflat, & cedere neſcij.

Hoc in causâ viri cuiuſdam inſignis apparuit, *e* qui cùm turbulentior eſſet, quàm vt eum diutius ferri oporteret; cumque eius animum Ignatius blandis monitis, præceptiſque nequidquam ſanare tentâſſet; ad extremum oratione conuersâ Diuinam teſtatus iuſtitiam, & cœleſtis iræ minas intentans, tantum ardorem ſpiritus præſe tulit, ipſi vt parietes, tectaque non dubio motu nutare, & concuti viderentur. Quo terrore perculſi qui aderant, illico procumbentes Dei pacem precibus ac votis popoſcère; ipſe verò qui accuſabatur, exanimis ad pedes Ignatij ſe confeſtim abiecit, ac ſupplex confusâ voce, culpæ veniam petijt, ſequè poſthac in officio fore pollicitus eſt.

Minùs delinquentem non tam acerbè quidem, ſed tamen grauiter reprehendit aliquando Iacobum Laynium, *f* virum virtute, doctrinâ, ac rerum geſtarum gloriâ etiam tum clarum. Erat is Italiæ Præpoſitus Prouincialis; & quia Sanctus Pater virum quemque præſtantiſſimum Romam tamquam ad Eccleſiæ arcem euocabat, communi magis quàm priuato bono curando

e *Maffæus lib.* 3. *c.*6. f *Orland. lib.* 12. *n.*22. *Bartolus lib.* 3. *n.*45.

rando intentus; hoc ſcilicet Laynio dolebat, videbaturque non ſat æquum, Collegia quæuis Italiæ præclaris orbari viris, vt vna Romana ſplenderet Domus. Literas igitur ad Ignatium dedit, quibus dolorem exponebat ſuum, idque ſummâ cum reuerentiâ. Cùm verò ad eas nihil reſponſi acciperet, non dubitauit mittere & alteras eodem argumento. Hîc enimuerò Sanctus Pater, cui nihil æquè curæ erat cordique, quàm vt omnibus conſtaret quantam proprij iudicij exigeret ſpoliationem, literis grauiſſimis Laynium monuit, videret etiam atque etiam, ne dum Prępoſiti partibus fungeretur præclarè, officio ſubiecti deeſſet: Ortum, cauſamque fortioris iſtius voluntatis, quæ ipſum ad ſuum ita inclinabat ſenſum; inueſtigaret perpenderetque diligenter, è ſincerone illa Zelo, an è ſuiipſius amore naſceretur. Quod ſi ſe reum deprehenderet, videret ipſe qua ſe dignum pœnâ cenſeret. Perculit ea epiſtola Laynij animum vehementer, eâque lectâ, relectâque ſæpius, atque facto illo ſuo coram Deo conſiderato, cum ſummâ veneratione, & obſeruantia reſcribit, delicti ſui cauſas, grauitatemque agnoſcit, meliora ſpondet, ac demum concludit: *Habitâ ad Deum precatione multis*

cum

cum lacrymis, quod rarum in me eſt, elegi & nunc ipſum, haud item ſine lacrymis eligo, ad iſta vindicanda peccata, & radices, vnde prodeunt, tollendas, vt Reuerentia veſtra (in quam totam hac in re conſcientiam meam rejicio, æquiſſimo animo quidquid iuſſerit amplexurus) per viſcera Domini noſtri, remoueat me ab alijs regendis, & à concionibus habendis, & ab omni literarum tractatione, vnico relicto Breuiario: iubeatq́ Romam mendicantem ire; ibiq́ in culinâ, aut triclinio, aut horto, aut alio quouis miniſterio vltimo; vel ſi minus ad hæc idoneus ſum, in Grammaticæ infimâ ſcholâ contineat, exerceatq́ vſque ad mortem, nunquam reſpiciens, curanſque me, niſi vt quiſquilias ac peripſema; atque hæc pœna eſt, quam primo loco eligo, ac depoſco. Plura in eamdem addit ſententiam, & ſi iſta non probaretur pœna, ad ieiunia, ad flagella, ad quamuis ſe præterea offert depreſſionem, ignominiam, mortificationem. Verùm Ignatio promptus ille demiſſuſq́ue pro ſatisfactione animus fuit. Quo in facto, Laynij profecto humilitas, cum Ignatij ſapientiâ certauit.

Non ita benignè ab eo habitus fuit Hieronymus Ottellus. g Magnus & in animis homi-

g *Bartolus lib.* 3. *n.* 45.

hominum ciendis potens Orator. Is quodam tempore in crimina quædam, quæ Romæ impunè & publicè admitti conſtabat, declamans, eo demum ardenti ſuo Zelo ſe prouehi eſt paſſus, vt diceret: quando neque Dei amor, neque timor gehennæ Romæ locum haberet, nihil ſupereſſe aliud, quàm vt arrepto tandem Pontifex Max. flagello ſceleratam illam turbam è ſancto expelleret loco. Ignatius re cognitâ haud diu pòſt hominem ad ſe euocat, quærit quotnam in Orbe ſint Pontifices Summi? ille vnicum Romanum eſſe reſpondet. Tum Vir Sanctus, & tu tibi fas eſſe arbitraris pro concione certam illam nominare Perſonam; Et quidem talem, tantamque, neque nominare ſolùm, verum etiàm legem illi dare? officij illam monere ſui? modum eius regimini præſcribere? quaſi verò tu illo ſis ſapientior, aut ſi plus illo ſapias, id tali demonſtrandum ſit tempore, locoque. Abi, & coram oculis Dei perpende, quâ te dignum pœnâ arbitrere, atque ante noctem ad me refer. Ottellus dolore ſummo atque verecundiâ tactus, conſideratoque diu, atque agnito errato ſuo, redijt; & ad pedes Sancti Patris prouolutus, in chartâ deſcriptas quas ſubire paratus erat, pœnas protulit.

tulit. Nimirum flagellationem in publicis totius Vrbis plateis; peregrinationem Hieroſolymitanam pedibus nudis; ſolo pane & aquâ contentum ieiunare aliquot annis; Et ſi quid præterea iniungere placeret. Verùm Ignatius tam liberali contentus animo, aliquot ſolùm verberationes priuatas, ipſi iniunxit.

Itaque vt quiſque doctiſſimus erat & nobiliſſimus, ita ſolertiſſimè agebat Vir Sanctus, *h* vt ſi quid in illo eſſet vitioſum, quod aut doctrinæ, aut generis opinione commendatum, ad alios manare, & corrumpere illorum integritatem poſſet, id corrigeretur. Quin etiam in leuibus erratis, grauia interdum exempla ſtatuebat, ne videlicet, è minimis maxima euaderent: Et ſi minùs deformitate ac magnitudine nocerent; imitatione certè ſerperent & exemplo, magnumque Religioni detrimentum inferri exiſtimabat, cùm quarumlibet nouarum rerum inductione, tum verò illarum potiſſimum, quæ ipſum Religionis ſtatum immutare poſſunt, ſenſimque peruertere. Quod aliâ quoque occaſione demonſtrauit. *i*

Cum Hieronymus Natalis, qui ſummo apud ipſum erat loco, ex Hiſpaniâ quam

h *Ribad. lib.*5. *c.*7. i *Bart. lib.*3. *n.*47.

Viſitator obiuerat redux, ſemel iterumque pro ſuo erga bonum commune Societatis zelo, conatus eſſet Sancto Patri perſuadere, vt præſcriptum in conſtitutionibus Orationis tempus produceret. Grauiter eam ob rem, non modò reprehenſus fuit, verum & officio quod ipſi iniunctum fuerat, magnâ ex parte priuatus. Sapienter nimirum proſpiciebat Vir Sanctus, per eiuſmodi legum mutationes, ad totius Inſtituti euerſionem aditum parari, futurumque aliquando, niſi maturè obuiam iretur, vt loco earum quæ Deo inſpirante ſtabilitæ fuerunt Conſtitutionum, humanæ ſuccederent inuentiones.

Ad diſciplinæ domeſticę obſeruationem, præter Regulas ordinabat pauca, *k* ſed executionem illorum exigebat accuratam. Edixerat totâ Societate, vt fœminarum quamuis nobilium aut ægrotantium, domos incomitatus nemo adiret; atque vt legis illius cuſtodiam exemplo ſanciret, cùm vnum è Sacerdotibus domeſticis hominem ſenem & priſcæ probitatis, contrà feciſſe cognouiſſet; quamuis culpam ſimplicitas viri, integritaſque minueret; ad cæterorum tamen commonitionem, & quòd non ſine periculo eo in genere delinquatur,

k *Orland. lib*. 4. *n*. 7.

quatur, octo Patres vnum conuenire iuſſit in locum, in eorumque conſpectu reum flagello ſe cædere, quo ad ſinguli eorum ſingulos è Pſalmis Dauidicis pronunciâſſent, quorum primus erat quinquageſimus.

Illud deniqúe præteriri non debet, quod Sanctus Pater cùm ſuos in Sanctitate, & virtute omnibus conſeruandos modis cenſeret, carceris tamen vſum è Societate exterminârit: idque hanc potiſſimum ob cauſam; quod illos qui tali egerent remedio, huic Ordini non conuenire certò planeque perſpiceret. Eos itaque quos neque Dei amor, neque paterna Præpoſitorum cura, neque leues interdum pœnæ in officio valent continere, maturè dimittendos, leuandamque Societatem inutili prauoque onere ſapientiſſimè iudicabat. Quod & legibus ſuis præcepit, & ipſemet frequenter conſtantiâ quadam firmiſſimâ obſeruauit.

Igitur ſi quem ad inſtitutum Societatis non eſſe aptum factumque animaduertiſſet, eum omnino ſine vllâ procraſtinatione præſcindebat, atque paucorum damno, multorum proſpiciebat ſaluti, vocabatque charitatem illam, quâ tales retinentur, imprudentem. *l* Neque verò ab iſtâ mente

l *P. 2. Conſtit. c. 2. §. 5.*

illum vel amicitia, vel doctrina, *m* vel nobilitas generiſque ſplendor, aut ſpes diuitiarum, quæ mortales inter prima numerant, poterant dimouere. Quare Theotonium quemdam Emanuelis Luſitaniæ Regis ex filia nepotem, Sobrinum Ducis de Biuonâ, qui erat Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis, ſummi tam Ignatij, quàm Societatis amici & patroni, propinquus: Chriſtophorum Laynium, Iacobi quem ipſe tanti faciebat, fratrem, alioſque ſummi ingenij, doctrinæque viros dimiſit: neque ad eos retinendos, vllis ſe amicorum, Magnatumque precibus exorari eſt paſſus. Atque hoc conſeruandæ perficiendæque Societatis, remedium potentiſſimum Vir Sanctus exiſtimabat. Vnde ſi quando amicos aut viros primarios per domus noſtræ adyta circumduceret; ad ianuam cùm peruenirent; hic, inquiebat, noſter eſt carcer: hæc nos & carceris metu, & hominibus carcere dignis liberat.

Cauſæ autem præcipuę ob quas complures emiſit, hæ referuntur: Si quid grauius contra angelicam Caſtimoniam admitterent. Si quis iudicio ſuo tenacius adhæreſceret, ita vt ſe rationibus Præpoſitorum vel aliorum ſapientium virorum flecti non

m *Bartol. lib.* 3. *n.* 19.

non ſineret: Si quis orandi ſpiritumque exercendi peregrinas ſectaretur vias, atque fini quem Societas præfixum habet, repugnantes. Delicta denique quæ alios contagione ſuâ inficerent, prauiſque imbuerent principijs. Ob illas aut ſimiles cauſas, eum ſæpe ſæpius viros cæteroquin præclaros è Societate pepuliſſe, luculentis probant Hiſtorici noſtri teſtimonijs & exemplis.

Poſtremò ſicut opere & exemplis, formam Medici ſpiritualis perfectam Succeſſoribus ſuis exhibuit Sanctus Fundator, ita inſuper monitis & Conſtitutionibus à ſe ſcriptis eamdem præclarè docuit. Nam in primis Præpoſitum Generalem, ad cuius normam omnes, ſiue Prouinciarum ſiue Domorum & Collegiorum Magiſtratus, ſe componere oportet, talem deſiderat. *n Qui eo modo dedicerit rectitudinem ac ſeueritatem neceſſariam cum benignitate, & manſuetudine miſcere, vt nec ſe flecti ſinat ab eo quod Deo ac Domino noſtro gratius fore iudicauerit, & tamen filijs ſuis, vt conuenit, compati nouerit: eo modo ſe gerendo, vt etiam qui reprehenduntur vel corriguntur, quamuis ſecundum inferiorem hominem, quod agitur, diſ-*

n *P.9. c.2.§.4.*

pliceat, agnoſcant nihilominus, quod rectè in Domino, & cum charitate ille officium ſuum faciat.

Hoc ipſum deinde nominatim in alijs quoque Præſidibus omnibus, ſe requirere ſapientiſſimus Legiſlator declarauit: o quando ſtatuit vt *Superior omni beneuolentiâ, & modeſtiâ, & charitate in Domino, quod in ſeipſo eſt, vtatur, ita vt ſubditi ſe potius ad dilectionem maiorem, quam ad timorem ſuorum Superiorum poſſint componere, quamuis aliquando vtrumque ſit vtile.*

Hoc igitur generaliſſimo quodam propoſito principio: poſtremò modum, ordinemque qui in correctione erratorum ſeruandus ſit, alibi valde particularem hunc exprimit. p *In correctionibus (licet prudentia rebus particularibus adhibita hunc ordinem mutare poſſit) eſt aduertendum, quod primò in charitate & dulcedine, qui peccant, ſunt admonendi. Secundò in charitate quidem, ſed eo modo tamen vt eis confuſio & rubor injiciatur. Tertiò amori, ea quæ timorem incutiant, adjiciantur. De publicis autem publica debet eſſe pœnitentia.* Atque hæc fecit docuitque Sanctus Ignatius.

Sectio

o P. 8. c. 1. *lit.* G p P. 3. c. 1. *lit.* G

SECTIO TERTIA.

Difficile, ſed tamen neceſſarium zeli & lenitatis temperamentum.

CVrandi animorum morbos artem præclariſſimam, facta monitaque expoſita nobis objiciunt, probantque id, quod in exordio huius operis diximus; Artem in difficilibus verſari. Arduum enim eſt menti vitio aliquo laboranti, medicinam ita facere, vt tamen lenitatis termini non excedantur. Sed hoc omnibus commune eſt artibus, quæ continent ſingulæ arcana quædam, & ardua, ad quæ qui pertingunt artifices, magnam ſibi laudem acquirunt. Ita in Picturâ, Muſicâ, alijſque eſt quædam recondita ars, colores, ſonos & ſimilia temperandi, quæ non niſi à paucis ſtudio vſuque acquiritur. Cocus certè vt de re non magnâ loquamur, qui ſapores acres dulcibus aptè nouerit temperare, in pretio eſt. In medicinæ verò arte plurimùm intereſt, vt Medici rationem nôrint pharmacorum tam multiplicium vim ita miſcendi, vt finem optatum, ſanitatem ſcilicet, aſſequantur: Valeant prætetea accuratè dijudicare, quando lenibus, quando

acribus vtendum remedijs, quando etiam ferrum, ignisque adhibendus.

Simili modo Ars regendi homines, arcana habet ſua & ardua, quæ non eſt ita promptum cuiuis attingere. Quod etiam olim Seneca vidit, dum de homine pronunciauit. *a Nullum animal moroſius eſt, nullum maiori arte tractandum.* Inter difficilia verò, quæ in ea arte occurrunt, non poſtremum, vt arbitror, locum obtinet illud, quod Viri Sancti exemplo Chriſti ſeruârunt in curandis vitijs, lenitatis efficaciæque temperamentum. In quo aſſequendo omnes animarum Rectores ſtudium diligentiamque adhibere quàm maximam, eſt neceſſe. Et præcipit Magnus Gregorius *b* his verbis: *miſcenda eſt lenitas cum ſeueritate; faciendum quoddam temperamentum ex vtroq; vt neq; multâ aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimiâ benignitate ſoluantur.* Quod etiam ſe à Chriſto Domino didiciſſe profitetur, dum parabolam de eo qui incidit in latrones producit, cui ſemiuiuo relicto, Samaritanus *c* vinum oleumque affudit; nimirum vt per vinum morderentur vulnera, per oleum fôuerentur: Ac demum, vt men-

tem

a *Lib.* 1. *de Clem.* c 17. b *Paſt.* *p.* 2. *c.* 6.
c *Luc.* 10. *v.* 34.

tem ſuam pleniùs explicaret, concluſit: *Sit itaque Amor, ſed non emolliens; ſit Vigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens; ſit pietas, ſed non plus, quam expediat, parcens.*

Quę quidem in Apoſtolo Paulo, quem magnum Eccleſiæ ſuſceptæ colonum vocat idem Gregorius, *d* eſt obſeruare. Is Timotheum hortatur, *e* & quodammodo adiurat, vt errantes *arguat, obſecret, increpet*: quæ tria ita inter ſe Magiſter egregius permiſcet, vt increpationis amaritudinem, obſecrationis ſequentis ſuauitate leniri velit, docetque diſcipulum, tanquam ſpiritualem medicum, nunc reprehendere, nunc rogare, nunc aſperis, nunc blandis vti verbis. Et omnia illa cum patientiâ ſiue longanimitate, *f* & doctrinâ.

Cum longanimitate, vt iracundiæ immoderatæ motus procul arceat, & delinquentis potius lapſum doleat, vt ſentit Chryſoſtomus, quam ei indignetur. Cum doctrinâ, vt non ſolis verbis vitia delinquentis perſtringat, ſed rationum pondere peccati

d *Paſt.p.*3. *Admon.*7. e 2.*Tim.c.* 4. *v.*2. *In Græco eſt*, ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παράκλεσον, *argue, increpa, obſecra.* f μακροθυμίᾳ.

grauitatem menti eius objiciat.

Titum verò aliâ erudit diſciplinâ. Cretenſium is erat Epiſcopus, hominum, quos ab omni memoriâ conſtabat eſſe vitijs non exiguis implicitos: quemadmodum & Epimenides Cretenſis, quondam Poëta, Philoſophus & vates carmine cecinit. *g Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Quam ob cauſam*, inquit, *increpa illos durè.* Hoc enim genus hominum nequaquam timidè, aut indulgenter tractandum, ſed ſeuerè rigidèque, & claris præciſiſque verbis ſine diſſimulatione, à prauis abſterrendum moribus; Et poſtquam varia illi alia præcepta dedit tandem concludit, *h hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.* Qua in re, vt notat Chryſoſtomus: *hh Apoſtolus ſtatuit fines ac regulas, vt neglectores Dei nequaquam curâ leniore tractemus, ſed ſermonem in eos, qui paulo rigidius percutiat, dirigamus.*

Atque in hoc Apoſtoli Magiſterio aliud quippiam cum Gregorio Magno *i* notandum

g *Tit.* 1. *c. v.* 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. h *C.*2. *v.*15. hh *Hom* 5. *de laud. Pauli.* i *Paſt. p.* 3. *Adm.* 17.

dum. Nimirum quod duobus illis Epiſcopis ac diſcipulis *non diuersâ charitate præditis, diuerſa tamen adiutoria prædicationis impendat.* Timotheum enim, vt vidimus, cum *longanimitate* : Titum verò vult cum *imperio* arguere. *Quid eſt*, inquit, Sanctus ille Doctor, *quod doctrinam ſuam tanta arte diſpenſat, vt in hac exhibendâ alteri imperium atque alteri patientiam proponat? Niſi quod manſuetioris ſpiritus Titum, & paulò feruentioris vidit eſſe Timotheum. Illum per æmulationis ſtudium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat. Illi quod deeſt, iungit, huic quod ſupereſt detrahit.*

Illud verò temperamentum mirâ arte & induſtriâ in Epiſtolis Apoſtolus exercuit, vbi paſſim reprehenſionibus miſcet laudes, & increpationis acerbitatem dulcedine charitatis mitigat. Corinthios ſuos, quod puerilem in modum de Magiſtrorum ſuorum præſtantiâ contenderent, non diſſimulanter corripit: k *Cum ſit inter vos zelus*, inquit, *& contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; Alius autem, ego Apollo: nonne homines eſtis?* Atque vt magis illos pudefaciat,

k 1. *Corint. c.* 3. 45.

deſaciat, crimen inceſtuoſi cuiuſdam, eis in faciem obiectat, atque demum concludit? *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis?*

Hanc autem tam ſeriam acremque reprehenſionem, in aliâ Epiſtolâ, amoris & benignitatis ſuæ ſuauitate non diu poſt magnopere leniuit. l *Scripſi vobis*, inquit, *non vt contriſtemini, ſed vt ſciatis, quam charitatem habeam abundantius ad vos.* Item, *in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & conuiuendum.* Quibus, alijſque verbis ad inſtar periti Medici, vt notauit Anſelmus, prioris increpationis ſeueritatem, tamquam malagmate leniſſimo mitigauit.

Seuerè quoque inuectus eſt contra Galatas, quod Pſeudoapoſtolis nimium creduli, ſe ad ritus Moſaïcos reduci paterentur. m *O inſenſati*, inquit, *Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati?* Et paulo poſt? *Sic ſtulti eſtis, vt cùm ſpiritu cœperitis, carne conſummemini?*

Qui verborum aculei, tanto quidem vehementius dura Galatarum corda pupugerunt, quantò pluribus, grauioribuſque rationum momentis erant armati. Verum iſtâ

l 2. *Corint. c.* 2. *v.* 4. *& c.* 7. *v.* 3. m *Galat. c.* 3. *v.* 1.

iſtâ reprehenſionis tam grauis acrimoniâ, excitari quidem debuerunt Galatarum mentes, ſed non exulcerari, quando mox maternas illas voces audierunt. n *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*, aliaque ſuauiſſima, quæ Apoſtolus ſubiunxit, verba.

Hoc verò temperamentum, cùm per ſe difficile ſit ſemper attingere, tum multa quæ in peccante corrigendo occurrunt obſtacula, difficultatem non mediocriter adaugent. De quibus cùm accuratiſſimè omnium Nazianzenus diſſeruiſſe mihi videatur, non pigebit ea, quę vir ille ſummus nobis reliquit, pauló prolixius proferre.

Illud, in primis difficultatem magnam parere dicit. o *Quod homo, qui curandus ſuſcipitur, ſit animal varium, & multiplex, ſui iuris ac arbitrij, quod cogi ſe non patitur. Deinde quod idem homo non perinde, vt corporis medicinam, ita animi quoque curationem expetat: immò illi potius reſiſtat, præpoſtero ſui amore ac ſagacitate, quâ morbum ſuum in intimo animi receſſu occultet: excuſationes in peccatis excuſet: Verborum patrocinium vitijs ſuis exquirat; aures inſtar aſpidis ſurdæ obturet, ne audiat vocem incantantium ſapienter; fron-* tem

n C.4. v.19. o *Orat.* 1. *Apologeticâ.*

tem deniq; apertè perfricet, eoſque qui de ipſo bene mereri conantur, quos amore decebat proſequi, vt hoſtes vlciſcatur. Denique velut inſtructâ quadam acie contra opem ferentes, pugnet, atque in ſuam ſe perniciem fortem exhibeat. Quæ, aliaque plura in hanc ſententiam, facundè more ſuo Sanctus ille Pater, deſcribit. Ac demùm vt oſtendat, quantâ prudentia & curâ medicamenta ſpiritualia varijs diſpoſitionibus ęgrotantium adaptanda ſint, ſubiungit.

Sicut non eadem medicamenta corporibus quibuſuis adhibentur, ſed alia alijs, habitâ videlicet vel ſanitatis eorum, vel aduerſæ valetudinis ratione; eodem quoque modo, animæ diuersâ ratione, ac diſciplinâ curantur. Alios ſermo ducit, alij exemplo ducuntur. Alij calcaribus opus habent, alij fræno: Nam qui ſegnes ſunt, atque ad bonum ægrè impelluntur, hi verborum ſtimulis excitandi ſunt. Qui verò ſpiritu, quàm par ſit, ferueniores ſunt, atque effrænato quodam impetu feruntur, velut equlei generoſi procul à metâ currentes. Hos vtique orationis fræno coërcere, ac cohibere præſtiterit. Alijs, laudatio vtilitati fuit: alijs reprehenſio: vtraq; videlicet tempeſtiuè adhibita; aut contrà detrimento, non tempeſtiue & cum ratione adhibita. Alios cohortatio

hortatio ad officium dirigit; alios obiurgatio: atq; hinc rurſus alios ſi palam arguantur, alios ſi remotis arbitris admoneantur: Sunt enim qui priuatas admonitiones contemnant; publicâ autem reprehenſione ad officium reuocentur.

Sunt rurſus qui liberius reprehenſi, pudorem omnem abſtergant, contràq; occultâ obiurgatione meliores reddantur; ijſque quos vicem ſuam dolere perſpiciunt, hoc muneris viciſſim rependant, vt eorum admonitionibus pareant.

Quidam etiam ad minima vſque ac leuiſſima obſeruandi ſunt, nimirum qui eo quod peccata ſua obſcura, & incognita eſſe putant, (quandoquidem id moliuntur) tanquam ſapientiores animis inflantur. In quibuſdam rurſum ad nonnulla conniuere ſatius fuerit; ne alioquin eos nimis crebris obiurgationibus tanquam fluctibus obruentes, ad deſperationem incitemus, ac diſſoluto tandem pudore, (quod perſuaſionis pharmacum eſt) ad quoduis facinus audaciores reddamus.

Quin etiam cum nonnullis ita agendum eſt, vt non iraſcentes iraſcamur. Non deſperantes, deſperemus; quatenus videlicet eorum natura id requirit. Alij rurſus lenitate, & humilitate curandi ſunt, atque

alacri animo vnà cum illis meliorem ſpem induendo. Alios vincere, ab alijs vinci plerumq́ue vtilius fuerit &c.

Deniq́ue obſeruat ſapienter, non eamdem ſemper eidem homini medicinam conuenire: ſed aliam alio tempore adhibendam, prout res, occaſio, vel ægrotantis mores, permiſerint.

Atq́ue hinc iam magnopere confirmatur id, quod diximus, difficilem, arduamq́ue eſſe animorum curationem, quando tam multa in eâ occurrunt, ad quæ animum aduertere, eſt neceſſe; quæ cùm humanam effugiant non rarò ſolertiam, ad Deum ſcilicet per orationem, identidem, vt alibi inſinuauimus, animarum Medicum recurrere oportet.

Nam ſicut difficilis exiſtit animarum medicina, ita tamen eſt neceſſariò á Rectore adhibenda. Ex Gregorij enim ſententia. p *Qui emendare poteſt, & negligit, participem ſe procul dubio delicti conſtituit.* Quocirca ſeuerè illam Dominus à ſuis exigit Paſtoribus, quibus per Prophetam q exprobrat: *Quod fractum erat, non alligâſtis, & quod abiectum fuerat, non reduxiſtis; Et, ſi non fueris locutus, vt cuſtodiat ſe impius à viâ ſuâ, ipſe in*

p *Lib. 9. Ep. 64.* q *Ezech.* 34. *&* 4.

in impietate ſuâ morietur , ſanguinem autem eius de manu tuâ requiram.

Quam ad ſententiam confirmandam pœnam Heli Sacerdoti r Summo inflictam, idem Gregorius propouit: ſ *Quia falsâ pietate ſuperatus*, inquit, *Heli ferire delinquentes filios noluit, apud diſtrictum Iudicem ſemetipſum cum filijs crudeli damnatione percuſſit. Hinc namque Diuinâ voce ei dicitur: Honorâſti filiòs tuos magis quàm me.*

E quibus illud demum concludamus. Paſtorem, qui gregis ſui morbos curare negligit, ſupremi iudicis ſententia feriendum, eique ſubiectorum delicta adſcribenda. Item quod poteſtate, & auctoritate ſibi à Deo collatâ non ſit vſus, metuendam illi ſententiam. t *Tollite ab eo talentum, & inutilem ſeruum ejicite in tenebras exteriores.* Ex quo ſapienter Bonauentura concludit. u *Oſtendat ergo bonus zelator, quantùm diligat Deum, in eo, quod beneplacitum eius in ſe & in alijs promoueat, nec ab hoc zelo molleſcat per deſidiam, nec labore laſſetur, nec conſilijs flectatur, nec aſtutijs circumueniatur, nec amicitiâ nec blandimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturna praua* con-

r 1.*Reg. c* 2. ſ *Paſt.*2. *c.*6. t *Matt. c.* 25. *v.* 28. & 30. u *De* 6. *Alis c.*3. *n.*8.

conſuetudinis præſcriptionem, deſperet.

Philautiam itaque, ſiue amorem proprium, iuratum verę charitais atque zeli hoſtem, & quod inde naſcitur, nimium placendi hominibus ſtudium, qui Deum timet Superior magnâ animi fortitudine vincat: Audiat Prophetæ minas: x *Væ his, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus. Hæc*, inquit Gregorius y *Rectores, qui ſeipſos diligunt, his proculdubio exhibent, à quibus noceri poſſe in ſtudio temporalis gloriæ timent. Nam quos nil contra ſe valere conſpiciunt, hos nimirum aſperitate rigidæ ſemper inuectionis premunt.* Denique ſit is quem optabat Nazianzenus, z cùm Cathedræ Conſtantinopolitanæ coram centum quinquaginta Epiſcopis renunciaret, qui ſit ex eorum numero *qui non omnia omnibus concedunt, ſed qui in quibuſdam, etiam ob rectitudinem in hominum offenſionem incurrunt.*

Sed cùm idem Nazianzenus, vt vidimus ſuprà, etiam dixerit, nos in curandis vitijs interdum non iraſcentes, debere iraſci,

x *Ezech.* 13. y *Paſt. p.*2. *c.* 8. z *Orat.*32. μὴ πάντα πᾶσι χαριζομένων, ἀλλ' ἔςιν ἃ καὶ προσκρούειν εἰδότων, ὑπὲρ τοῦ βελτίονος.

ſci, ſupereſt inquirendum an ira locum in correctione ſibi vendicare nonnunquam poſſit.

Sectio Qvarta.

An ira omnis à correctione exulare debeat.

PRincipiò ſtatuendum id quod diximus, dicendum autem eſt ſæpius, in vitiorum correctione benignitatem amoremque primas ſibi depoſcere partes: atque animarum Rectori id perpetuò præ oculis verſari debere, quod Dei filios, eique dilectiſſimos regat, qui voluntate, non iure aliquo, multò minus mercede ſe eius ſubjiciunt imperio. Chriſtum proinde Paſtorum Principem ſiue ſupremum, vt loquitur Dionyſius, *a* Pontificem, à ſuis Vicarijs regimen exigere benigniſſimum. Qua de re idem pręclarè philoſophatur Nazianzenus. *b Satis*, inquit, *ſuperque graue eſt liberis hominibus ſeruitute premi; tantumque inter eos, qui ex eâdem maſſâ coagmentati ſunt, intereſſe, vt alij imperent, alij imperio teneantur, &c. Satis, inquam,* *hac*

a *Ep.*8. ἐπιεικεστάτην ποιμαντικήν. b *Ad Iulianum.*

hæc liberis hominibus moleſta ſunt. Ne quid huic iugo ponderis addatur, ne quid pœnæ illi quâ primum noſtrum peccatum mulctatum eſt, acerbitatis adjiciatur. An vero ea tanta eſſe debeat zeli benignitas, ſuauitaſque, vt ſi ſubinde ſe eius exercitio aliquis vehementior animi atque etiam iræ motus immiſceat, id continuo crimini vertendum ſit, hoc ſupereſt inueſtigandum.

Stoicos certè ſcimus omnes animi perturbationes, quas πάθη vocabant, & hodie à Theologis, & Philoſophis ad Græci nominis expreſſionem, dicuntur paſſiones, malas dixiſſe, atque vitijs adnumerâſſe. Triſtitiam igitur, metum, iram, & ſimiles animi concitationes, non cadere in ſapientem cenſuère. Aliter Peripatetici, qui eiuſmodi animi motus, ſi rationis modum tranſgrediantur malos, ſi illius imperio tamquam obedientes famuli pareant, bonos eſſe decreuerunt, atque tales viro ſapienti conuenire. Et horum quidem ſententiam, proſcriptâ illâ Stoicorum, Schola amplexata eſt Chriſtianorum; & contra Stoicos quidem Lactantius, *c* Auguſtinus, *d* alijque Patres præclare diſputârunt. Et poſt illos S. Thomas; qui etiam magis de nomi-

c *Lactan. lib.* 1. *c.* 15. d *Auguſt. lib.* 9. *de Ciuit. c.* 4. 5. *& alibi.*

nomine, quam de re fuiſſe controuerſiam obſeruârunt. Quod ipſe quoque M. Tullius agnouit, qui verbi controuerſiâ homines illos torqueri, & contentionis quàm veritatis cupidiores eſſe, affirmauit. Nam Stoici fateri tandem coacti ſunt, ſapientis animum ab ijs rebus, quæ iram, metum, triſtitiamque inferrent, aliquid pati, ſed, vt Epictetus dixit, *in poteſtate eius eſſe, vt illis minimè conſentiat, ne amplius commoueatur, quàm recta ratio præſcripſerit, eoque à ſtulto differre ſapientem, quod ſtultus eiuſmodi conſentiat perturbationibus.* Quæ in re, eſt ipſa doctrina Peripateticorum.

Et quidem horum veram fuiſſe ſententiam, inuincibili Chriſtus ipſe veritas, Iuſtitia, ſanctitas & ſapientia, nos docuit argumento. In illo enim, vt homine, fuiſſe & triſtitias, & metus & pauores, & commiſerationem, & iram, Sacra Euangelij teſtatur Hiſtoria. Vnde in horto eum triſtitiam, pauorem, tædium, timorem paſſum didicimus. Item non rarò commiſeratione tactum, & quidem visâ Ciuitate Hieroſolymitanâ miſeratum fleuiſſe. Aliàs cum Sabbato ſanare hominis manum aridam pararet, *d* Phariſæos inuidiosè illum

d *Mar.* 3. *v.* 5.

lum obſeruantes: *circumſpexiſſe cum irâ, & contriſtatum fuiſſe ſuper cœcitate cordis eorum.* Quando verò è Templo negotiantes flagello exturbauit, zelum eius irâ armatum, vultu ac voce ſe prodidiſſe, nemo eſt, qui dubitet. Itaque in Chriſto, in quo, vt loquitur Auguſtinus, *e erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falſus non erat humanus affectus.* Aliter tamen in illo iſtos fuiſſe motus, quàm in hominibus Originis crimine infectis, Doctorum non dubia eſt ſententia. Quia in ipſo neque rationem prçueniebant, neque illi reſiſtebant, neque in quicquam non rectum, & bene ordinatum ferebantur.

Apoſtolum quoque Paulum Virum prorſus cæleſtem, luce quâdam, & gratiâ Diuinâ in ipſis formatum, & elaboratum quodam modo cœlis, ab eiuſmodi affectibus non fuiſſe immunem, ipſemet non ſemel in Epiſtolis ſuis demonſtrauit. Vbi ſe flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus; foris ſe pati pugnas, intus timores, magnam triſtitiam & dolorem cordis continuum declarat. Quas quidem triſtitias & dolores; ſed & iras in eo non modò Auguſtinus, ſed Chryſoſtomus quoque

e *Lib.* 14. *de Ciuit. c.* 9.

que eius laudator eximius fuiſſe agnouit. f *Quaſi gladio aciem,* inquit, *ita menti noſtræ iræ acumen Creator prouidus impoſuit. Propterea & Paulus hoc ſæpè eſt vſus affectu.*

Maneat igitur illa animi πάθη, affectus & perturbationes malas non eſſe, modò à recto rationis tramite non deuient: quod ſapienter docuit Auguſtinus. g *In diſciplinâ noſtrâ,* inquit, *non tam quæritur, vtrum pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur. Nec vtrum ſit triſtis, ſed vnde ſit triſtis. Nec vtrum timeat, ſed quid timeat: Iraſci enim peccanti, vt corrigatur: contriſtari pro afflicto, vt liberetur: timere periclitanti ne pereat: neſcio vtrum quiſquam ſanâ conſideratione reprehendat.*

Et illi aſſentitur Chryſoſtomus, qui mœrorem, metum, aliaſque, vt loquitur, ægritudines, tunc tantum criminoſas eſſe dicit, cùm ijs ſeruitur: Et vniuerſim, *commoueri,* inquit, h *malum non eſt, ſed rationabiliter, nulloque iuſto flagitante negotio commoueri.* Et cùm de ira agit: *non culpatur,* inquit, *ſimplex iracundia, ſed iniuſta. Quod ſi omnino huiuſmodi non oportet vti affectu, etiam cùm tempus expoſcit, fruſtra nobis videtur ingenitus: ſed profectò non fruſtra.*

f *Hom.6.de laud.Pauli.* g *Lib.* 9. *de Ciuit.* *c.*5. h *Hom.6. cit.*

fruſtra. Denique & Regij Vatis auctoritate ſe tuetur, qui cum inclytos ſuos, vt Hieronymus *i* notat, hoc eſt Duces ſuos alloquitur: *Iraſcimini*, inquit, *& nolite peccare.* Qua etiam vtitur Apoſtolus, dum Epheſios adhortatur, *k* atque indicat poſſe iram inueniri à culpâ immunem.

E quibus conficitur illas animi perturbationes, ſiue, vt Scriptores aſcetici, alijque loquuntur, paſſiones rationis fræno temperatas, etiam in Chriſtianum Sapientem virumque Sanctum cadere, neque ſummæ virtuti vlla ratione repugnare, *quando illis ipſe*, vt Auguſtinus *l* loquitur, *dominatur, iiſque non conſentiendo, ſed potius reſiſtendo regnum virtutis exercet.* Quin immò à ſapientiſſimo mundi Conditore homini inditas, vt ad virtutem ei ſint adiumento: atque iram quidem humanę menti additam, vt cotem virtutis; ſiue vt Chryſoſtomum dixiſſe vidimus, *velut aciem gladio.* Quod eleganter Græcus ſapiens expreſſit, qui iram vocauit *m Satellitium rationis*; quo qui caret ſtimulo Rector; periculum eſt, vt Gregorius *n* Magnus obſeruauit: *ne vicinum & quaſi iuxta poſitum torporem deſidiæ*

i *Pſ.*4 *v.*6. k *Epheſ.*4 *v.*26. l *Suprà c.*4. m δορυφορικὸν τῦ λογισμῦ. n *Paſt. p.* 3. *Adm.* 17.

deſidiæ patiatur : & plerumque nimiâ reſolutione lenitatis, vltra quàm neceſſe eſt, vigorem diſtrictionis emolliat.

Quæ quidem nimia lenitas deſidiæque torpor, exceſſus quidam eſt laudatiſſimæ alioquin virtutis manſuetudinis : *neque enim lenitas ſimpliciter bona eſt*, vt Chryſoſtomus docet, o *ſed cùm eam tempus efflagitat : quando verò id non adeſt, & ipſa fit ſegnities*, ſiue torpor.

Quod vitium à Rectore animarum magnopere fugiendum eſt, eo quod ſubiectorum profectui ac virtuti plurimùm obſtet. Nihil enim procliuius eſt, quàm vt in eâ Domo, quæ perpetuâ quadam dulcedine, ſine acrimoniæ vllis ſtimulis regitur, vitiorum multorum monſtra nidificent, quemadmodum halciones in maris tranquillo.

Atque hanc ob cauſam à Sancto Ignatio Rectores fuiſſe expetitos tales accepimus, qui animi quidem affectiones & præſertim iram domitam, temperatamque haberent, non tamen penitus extinctam. Et cùm Oliuerius Manaræus p Collegij Romani

o *Hom.6. cit.* οὐδὲ γὰρ ἐπιείκεια, ἁπλῶς καλὸν, ἀλλ' ὅταν ὁ καιρὸς ἀπαιτῇ. ὡς ἐὰν μὴ τοῦτο προσῇ, καὶ ἐκείνη νωθεία γίνεται. p *Bart.lib.3.n.36.*

mani ab ipſo Rector conſtitutus, liberari à regimine illo inſtanter poſtularet, quòd concitatioribus iræ ſtimulis, quos antè non ſolebat experiri, ſe agi ſentiret. Reſpondit Vir Sanctus, iram nequaquam in malis numerandam, neque penitus expellendam, ſed ratione omnino illi imperandum: neque permittendum, vt illa in Rectorem, ſed curandum potius, vt Rector in illam dominium exerceret, atque per illam ſubiectos regeret.

Ipſe verò Sanctus Ignatius *q* tametſi imperium in perturbationes omnes atque iram præſertim, ſibi ſummum comparâſſet; & quidem tale, vt Medici in eius conſtitutione diſcernenda aberrarent, phlegmaticumque pronuntiarent, quem conſtabat naturâ magnopere eſſe bilioſum: iram tamen vultu ac ſermone nonnunquam in delictorum præſertim grauiorum reprehenſione præſeferebat, eoque rationis ſatellitio ad nutum ſibi obtemperante, ad animos veritati, virtutique parum morigeros edomandos, præclarè vtebatur. Vidimus ſuprà ſermonis vehementiâ, quendam rationi reſtitantem, ita ab eo perculſum, vt ipſi muri, parieteſque Domus concuti illis qui aderant, viderentur.

Perſæpè

q *Ribad. lib.* 5. *c.* 5.

Perſæpè etiam obſeruatum eſt eum, dum magna animi ſerenitate cum ſuis colloqueretur, iuſſiſſe quempiam quem obiurgare vellet, aduocari: primoque eius aſpectu commutâſſe vultum, ad ſeueritatem compoſuiſſe, atque acri ſermone grauiter hominem corripuiſſe; ſtatim tamen, atque ille exceſſiſſet, ne puncto quidem temporis interiecto, ad ſuam illam tranquillitatem, iucunditatemque ſermonis, ſereno vultu, explicatâque fronte rediſſe, perinde atque ſi laruam quamdam iracundiæ aſſumptam depoſuiſſet. Ita Vir Sanctus non iraſcens iraſcebatur.

Hoc igitur ſtatuamus, iram temperatam Superiori perutilem, immò interdum neceſſariam eſſe; Nam vt ait Chryſoſtomus, ſ *eum qui ſuſcipit hoc miniſterium, non oportet mollem eſſe quemdam, atque flaccidum, ſed fortem & robuſtum.* Atque idcirco Gregorius *t* obſeruat Spiritum Sanctum non in columbæ ſpecie ſolùm, ſed in figura quoque ignis apparuiſſe, *quia omnes, quos implet, inquit, & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne zeli*

 arden-

ſ *Hom.* 6. *cit.* οὐχὶ χαῦνόν τινα εἶναι χρὴ, οὐδὲ ἀναπεπλωκότα ἀλλ' ἀνδρεῖον καὶ εὔτονον. t *Paſt. p.*2.*c.*10.

ardentes exhibet.

Temperata autem ira cenſebitur, ſi doctrinæ & exemplis ſanctorum, quæ attulimus conformetur; ſi rarò & non niſi graui de cauſa aſſumatur, ſi tum ſolum eius ſit vſus, cùm lenia fruſtra ſunt remedia: ſi ad nullam iniuriam, contumeliamque verbo factoue inferendam progrediatur; ſi non ad vindictam ſed ad ſalutem alterius referatur; ſi non ſit diuturna, ſed mens officio ſuo perfuncta, mox ad priſtinam redeat ſerenitatem. Si denique quis iraſcatur, vt Auguſtinus loquitur u more columbino: *Fel*, inquit, *columba non habet, tamen roſtro, & pennis pro nido pugnat. Sine amaritudine ſæuit, amor ſæuit, charitas ſæuit: ſæuit quodammodo ſine felle, more columbino, non coruino.*

Verùm non mediocris virtutis illud eſſe Gregorius loco laudato obſeruauit; *& difficilè valde, vt dum ad increpationem ſe mens Rectoris exaſperat, non aliquando & ad aliquid, quod dicere non debet, erumpat.* Idem proinde ei euenire docet quod illi, qui vt in figurâ quadam Moyſes x deſcripſit, ad ſyluam cum amico progreditur ad ligna cædenda: fit enim interdum, vt dum ardentius operi intendit, ſecuris

curis

u *Tract.* 7. *in Ep.* 1. *Ioannis.* x *Deut.* 19. *v.* 5.

curis è manibus, aut ferrum è manubrio proſiliat, atque amicum lædat vel occidat. Tali autem delicto, benignus legiſlator patere Ciuitates perfugij voluit. Eodem modo ait ille Sanctus Doctor: *ligna ſuccidimus, cum delinquentium vitia piâ intentione reſecamus; ſed ſecuris manum fugit, cùm ſeſe increpatio pluſquam neceſſe eſt, in aſperitatem protrahit.* Quid eo in euentu ſupereſt, niſi vt Superior coram Domino ſuam agnoſcat imbecillitatem atque ad Ciuitatem perfugij, nimirum pœnitentiam, recurrat, & *per lamenta veniam in conſpectu veritatis obtineat; ex eo etiam quod per zeli eius ſtudium peccat.*

Atque hæc de zelo in corrigendis vitijs adhibendo & temperando, pauca ſufficiant: exſtant induſtriæ ad curandos quoſque animi morbos, ſapienter à R. P. Claudio Aquauiua Societatis quondam Præpoſito Generali elaboratę: in quibus etiam temperamentum illud lenitatis & efficaciæ explicatiùs docetur; illas expedit Superiores omnes nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ. *y*

y *Horatius.*

CAPVT OCTAVVM.

Superiori magnâ in Dei auxilio Fiduciâ opus eſſe.

ARdentem Dei amorem, quo Paſtorem Dominici gregis præditum eſſe debere diximus; comitatur etiam in diuino auxilio ſpes, & fiducia. Amantium enim & Amicorum omnia ſunt communia. Et Deus in donis ſuis profundendis liberaliſſimus ijs, quos in intimam ſuam recipit amicitiam, theſauri ſui inexhauſti clauim aditumque largitur. Clauis illa fiducia eſt: quæ & haurit è theſauro illo infinito quantum libet bonorum, & ſine illâ nihil inde exportari poteſt. Quia vt Bernardus. a *Deus oleum miſericordiæ, non niſi in vaſe fiduciæ ponit.*

Fiduciam porrò hanc, fidem non rarenter in ſacris vocari literis, ſcimus; tametſi à fide propriè dictâ, quâ in Deum credimus, differre in confeſſo ſit. Illi enim, fiducia, quæ eſt certa ſpes, tamquam fundamento ſuo ſuperſtruitur. Nam fides propriè

a *Serm.* 3. *de Annunciat.*

propriè dicta eſt iuxta Apoſtolum, *b Subſtantia rerum ſperandarum.*

Et quia credimus in Deum, eumq́ue velle & poſſe omnia noſtri causâ; idcirco ſperamus certò, quod quæcumque ſiue ad corporis neceſſitatem, ſiue ad animæ ſalutem neceſſaria poſtulabimus, ea copiosè conſequemur.

Quòd in aduerſis ope ſuâ aderit, in proſperis diriget, in omnibus pluſquam paternâ prouidentiâ nos, nobiſq́ue commiſſos reget. Hanc igitur certam ſpem, Fidentiam, ſeu Fiduciam vocamus; illa, quàm neceſſaria eſt Animarum Rectori, tam frequenter, grauiterq́ue à Chriſto Domino in Euangelio reperitur commendata; & ipſo adeò opere, quâ ratione exercenda ſit, à cœleſti Magiſtro demonſtratum.

SECTIO PRIMA.

Diſcipulos ſuos Chriſtus ad Fiduciam illam identidem excitauit.

EGit hoc primum exemplo; dum oſtendit perpetuò ſe, in Patris cœleſtis curâ & prouidentiâ ſpem omnem, ac fiduciam collocâſſe. Nam & ab exordio vitæ

b *Hebr.* 11.

vſque ad mortem, omni rerum conditarum dominio exutus, adeo voluit eſſe pauper, vt ne haberet quidem vbi caput reclinaret, & omnes acerbiſſimorum ſuorum hoſtium iras, minas, feroceſque machinationes contempſit, probe guarus vigilare prouidum Patris ſui æterni oculum & curam, quæ nihil ei euenire, nihil obeſſe, nihil deeſſe pateretur, niſi eo tantum modo ac tempore, quo eius ſapientia definiuiſſet.

Poterant certè Apoſtoli, cùm illas eius actiones contemplarentur, ad fiduciam præſtantem in Dei curâ collocandam prouocari: Verùm non factis ſolùm, ſed monitis quoque illos, & varijs experimentis ad illam animi celſitatem Dominus erudiuit.

Nam poſtquam oratione diuturnâ præuiâ, ex vniuerſo Diſcipulorum numero duodecim elegit Apoſtolos, *c* illos vt Eccleſiæ ſuæ futuros Fundatores ac Principes, præclaris, quæ refert Mattheus, *d* inſtituere cœpit documentis.

Et primò quidem cùm eos ad Euangelium annunciandum mitteret, vetuit poſſidere aurum, argentum, æs, pecuniam, peram, duas tunicas, calceamenta, virgam: quin immo gratis, ingen-

c *Luc.*6. *v.*13. d *Cap.*10. *v.* 9.

ingentia populis præſtare beneficia, præcepit: & hoc idcirco, vt Hieronymus obſeruauit, ne in humanis ſpem ponerent ſubſidijs, ſed vt in Diuinâ ope fiduciam defigerent omnem: atque ij, qui mortales ad Diuinam curam, & prouidentiam agnoſcendam erant inſtructuri, oſtenderent priùs, ipſo opere, illâ ſolâ ſe niti.

Cùm deinde prædiceret eis, quantas ab aduerſarijs ſuis paſſuri eſſent oppugnationes, vtpote qui velut oues in medium luporum deſtinarentur, ſimul monuit, cauerent etiam atque etiam, ne hominum irâ & furore ſe terreri paterentur, ſed in Deo vitæ mortiſque arbitro, fiduciam ſuam collocarent omnem. e *Nolite*, inquit, *timere eos. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro: Nolite ergo timere; multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Si animalcula illa garrula, & inutilia, quorum Deus non eſt Pater, ſed Dominus, non ſint in obliuione apud illum, neque ab aucupe ſine eius conſenſu poſſint necari: quantò magis vos tamquam filios Pater ille cœleſtis tuebitur? vix teruncium valent iſti paſſerculi, vos autem tanto pretio breuì redimendi, tantiſque à Deo donis ornati, quanto plu-

e *V.*28. *&* 29.

ris apud eum eritis? Neque verò vitam ſolam veſtram curæ habet Pater cœleſtis, ſed & minima quoque veſtra: ipſos capillos capitis veſtri, numeratos habet. Vnde Apoſtoli poterant ratiocinari, ait Auguſtinus. f *Capilli noſtri numerati ſunt à Deo, quantò magis mores noſtri, cui ſic noti ſunt capilli noſtri? videte quia nec minima noſtra contemnit Deus.*

Sed prætereunda hic non eſt alia præclariſſima cœleſtis Magiſtri adhortatio, quâ ſollicitudinem omnem rerum ad corporis ſuſtentationem neceſſariarum Diſcipulis ſuis exemit, & argumentis pluribus, ijſque grauiſſimis, eos in Diuina curâ & ſollicitudine fiduciam collocare docuit. Quę quia notiſſima ſunt & breuitati conſulendum eſt, paucis perſtringere libet. g Vetat ergo eos anxiâ ſollicitudine de victu veſtituque commoueri. At paternæ Prouidentiæ plurimum iubet fidere. Cùm enim, vt ait, is animam tanti pretij & tot donis ornatam donauerit, multò magis eſcam præbebit: *Qui hoc, quod maius eſt tribuit*, inquit Chryſoſtomus, *quomodo non etiam, quod minus eſt, largietur?* Ad hæc, cùm corpus Deus tam mirabili architecturâ formârit, illudque pelle ſine vllâ ſuturâ

f *Serm. 6. de verbis Domini.* g *Matt. 6. v. 25.*

ſuturâ aptiſſime obduxerit, nonne de veſte ei proſpiciet?

Sed à vobis oculos in altum transferte: *Reſpicite volatilia cœli*; non amœnas ſolum aues, & innocentes philomelas, alaudas, cardueles, ſimileſque, quæ aërem cantu ſuo indefeſſo complent, ſed coruos quoque, rapaces illas, atque voce & colore horridas volucres; Vbi earum aratra, horrea, apothecæ? viuunt tamen; nempe Pater veſter cæleſtis paſcit illas. Hîc Chryſoſtomus: *h poterat*, inquit, *hominum proferre exempla, vt Moyſen, Eliam, Ioannem, qui de victu non fuerunt ſolliciti, ſed vt magis audientium conſcientias verberaret, de irrationabilium eos ſecuritate admonuit.*

Immò ipſa que ſenſu carent *lilia*, inquit, *conſiderate:* non illa, quæ humanâ induſtria in hortis excoluntur, ſed quæ in agris ſponte naſcuntur. Quanto illa, quæ fœnum ſunt, ſplendore Deus veſtit! Salomonis Regis glorioſiſſimi paludamenta lilijs intertexta, non valuerunt agreſtium illorum adæquare decorem. Quin immò, vt Chryſoſtomus dicit, tantùm ab illis ſuperata ſunt, quantum à veritate mendacium, & quantùm homo pictus à vero.

Præterea

h *Hom. 22. in Matt.*

Præterea fruſtra vos anxiâ fatigatis curâ, quaſi verò ab illâ ſolâ veſtra dependeat ſuſtentatio. *Quis veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* Sicut igitur Deo tribuendum corporis incrementum, ita ab eodem alimẽta ſunt expectanda.

Denique Gentiles, qui falſa adorant ſimulacra, eaque ſurda & muta, illis fidunt ſuáque induſtriâ nituntur. At vos qui Dei veri notitiâ illuſtrati, creditis, quod Patrem habeatis in cœlis, qui ſcit omnia, & nouit talia vobis eſſe neceſſaria, & vult, poteſtque omnia vobis tamquam filijs dilectiſſimis præbere: ſpem omnem ac fiduciam in paternâ eius curâ ac prouidentiâ par eſt collocare; Nam vt Chryſoſtomus. *i Pater veſter & talis Pater, nequaquam patietur deſpici à ſe filios mala vltima ſuſtinentes, quando ne homines quidem Patres hoc aliquando patiuntur.*

Concludit tandem tam grauem ſeriamque adhortationem Dominus: *Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.* Atque talibus quidem ratiocinationibus, Dominus languentem Diſcipulorum fiduciam identidem excitabat. Neque ferè quicquam in Hiſtoriâ ſacra tam ſæpè ab eo repre-

i *Hom.* 23. *in Matt.*

reprehenſum reperitur, quàm modica Diſcipulorum fides ſiue fiducia.

Vt verò quantùm firma illa poſſet fiducia, ſeriò Diſcipuli animo comprehenderent, non ſemel Dominus aſſeruit, eum qui ſincerâ illa præditus foret virtute, omnipotentem, vt ſic dicam, Deoque, qui poteſt omnia, quodammodo ſimilem fore; adeo vt etiam montes loco mouere fide ſuâ poſſit. k *Amen dico vobis,* inquit, *ſi habueritis fidem & non hæſitaueritis: ſi Monti huic dixeritis, tolle, & iacta te in Mare, fiet.* Et alibi apud eumdem Euangeliſtam. l *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis Monti huic, tranſi hinc illuc & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Et apud Lucam m *ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & tranſplantare, & obediet vobis.* Quæ quidem à Dei Filio ſupremâ veritate dicta, nullum de fiduciæ erga Deum efficaciâ dubitandi relinquunt locum; atque ex illis apparet, vt loquitur Bernardus. n *Quod Deus faciat omnipotentes in ſe ſperantes.*

Verùm non ſatis fuit Domino, verbis monitiſque Apoſtolos ad fiduciam illam præ-

k *Matt.* 21. *v* 21. l *c.* 17. *v.* 19. m *Luc.* c. 17. *v.* 6. n *Serm.* 35. *in Cantica.*

præſtantiſſimam erudire, etiam rebus & euentibus aduerſis eos voluit exerceri, vt in diuinâ ope ſenſim ſpei ſuæ anchoram diſcerent firmare; cùm enim nauim cum Diſcipulis conſcendiſſet, *o* & ingenti ortâ tempeſtate iam fluctus eam operirent, & res ad ſummum deducta eſſet diſcrimen, ad dormientem Dominum trepidi Diſcipuli: *Domine,* inquiunt, *ſalua nos, perimus.* Nouerant eâdem naui Deum ac Dominum ſuum ſecum vehi, cuius nutu & mare, & vita mortalium regitur vniuerſa; & tamen quaſi ſciret nihil, nihil illorum causâ vellet, vt notat Chryſoſtomus, prouidentiæ eius diffidebant. Quam exiguam eorum fiduciam, meritò Dominus reprehendit, atque vt viderent, quàm inani fuiſſent timore perculſi, momento ventos, fluctuſque compoſuit. Ita Dominus præſens Diſcipulos paſſus eſt agitari.

Sed alio tempore *p* diuturnioribus illos abſens voluit procellis iactari. Ipſo in monte nocte fere totâ orante, nempe vſque ad quartam vigiliam, Diſcipuli cum fluctibus luctati ſunt, non ſine ſollicitudine & pauore ingenti, quem etiam auxit Dominus, ſub extremam noctem procul in mari ambulare conſpectus: *ſub cuius veſti-*

o *Matt.* 8. *v.* 24. p *Matt.* 14. *v.* 22.

veſtigijs, inquit Auguſtinus q *ſurgebant fluctus, ſed calcabantur, fremens pelagus murmurabat, ſed tamen eum volens nolenſque portabat.* Diſcipuli verò ſpectrum aliquod infeſtum eſſe rati, exclamârunt. At Dominus: *habete*, inquit, *fiduciam, ego ſum, nolite timere*: atque mox in Petro oſtendit eis, quantum in illâ fiduciâ ſit præſidij. Hic enim amore ſui Magiſtri incitatus *Domine*, inquit, *ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas*; quaſi diceret inquit Auguſtinus r *non miror quòd ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis; hoc ego non miror: fac quod mirer, ambulet Petrus: iube me venire ad te ſuper aquas. At Dominus veni, nec dubitauit Petrus; audiuit Domini verbum, & mox cucurrit ad verbum. Fide valuit quod humana infirmitas non valeret.* Verùm mox exortus ventus validus fiduciam illam excuſſit, & Petrus titubare, mergi, & in profundum prolabi; fuiſſetque vorticibus hauſtus, niſi illum Dominus dexterâ ſuâ ſubleuâſſet, atque *vt oſtenderet*, inquit Chryſoſtomus, ſ *non à procellis, neque à ven-*

q *Serm.* 14. *de verbis Dom. in Appendice.*
r *Suprà.* ſ *Hom.* 51. *in cap.* 14. *Matthæi.* ὀλιγόπιστε εἰς τί ἐδίστασας;

à ventis, ſed à modicâ fide ſuâ ipſum euerti, ait; quid hæſitaſti modicæ fidei? Niſi enim labefactus in fide aliquomodo fuiſſet, etiam ventis facile reſtitiſſet.

Ita Dominus, velut illuſtri quodam problemate, probauit quantùm obſit viro Apoſtolico diffidentia, & quantum fiducia in Deo fixa poſſit. *Quam ſi habuerimus, tunc*, inquit Auguſtinus t *non titubabimus: tunc in petrâ fundabimur fixi, & ſtabiles erimus aduerſus ventos, imbres, flumina, tentationes videlicet præſentis ſæculi.*

SECTIO SECVNDA.

Sancti Ignatij in Dei bonitate Fiducia.

SAnctum Ignatium Apoſtolico quodam ſpiritu præditum fuiſſe, tam ea, quæ geſſit ipſe, quàm quæ ſuos docuit, clarè loquuntur. Itaque iuxta Chriſti monita & exempla, ſpem ſuam omnem ac fiduciam in Deo defixit. Hinc ei magnus ille animus, quo & res maximas aggreſſus eſt, eaſque ad felicem perduxit exitum, & grauiſſima quæque tolerauit.

A primo igitur vitæ ſanctioris exordio, hoc ſibi firmiter propoſuit, in hominibus, rebuſque

t *Serm.* 13. *de verbis Domini.*

rebuſque creatis ſpem nullam, at in Deo fiduciam ſuam collocare omnem. Cùm ergo annum ferè totum in oratione, & pœnis aſperrimis Manreſę peregiſſet, & Hieroſolymam proficiſci cogitaret, itineris ſocium planè nullum, tametſi hoc illi ſuaderetur, aſſumere voluit: Quod ſpes omnes ſuas in Deo poſitas habere cuperet. *a* Quod ſi vię ſocium ſecum haberet, verebatur ne pręſtans illa in Deum fiducia in ſocium deriuata, minueretur. Quin immò & viatici omnem curam ab animo excluſit, ne quid eſſet, quod ſpem illam ſuam infringeret.

Venit Barcinonem, nauim quâ in Italiam poſſit trajicere, parat conſcendere; Nauarchus, aliâ eum lege admiſſurum ſe negat, niſi tantùm panis nautici adferat, quantùm ſibi ad victum eâ in nauigatione opus eſſet. Verum dum ad panem illum mendicatò conquirendum ſe accingit, angi cœpit vehementius, quòd hoc cum ſancto illo ſuo propoſito minus videretur conuenire: & ſecum ipſe; hæccine, inquit, eſt illa tam ſtabilis, tam ſecura fiducia, nihil tibi à Deo defuturum? numquid ille panem non poterit dare, & parare menſam peregrino ſuo? Ex his ſpinoſis cogitationi-

bus

a *Ribad. lib.*1. *c.*10.

bus cùm expedire ſe non poſſet rem ad Confeſſarium omnem planè & ſincerè detulit, eiuſque ſtetit arbitrio. Mox ergo mendicare oſtiatim eius de ſententiâ cœpit, ſed cùm præter panem illum neceſſarium, etiam obolos pauculos accepiſſet, illos protinus, ne quid de propoſitâ in Deum fiduciâ decerperet, iuxta nauium ſtationem palam abiecit.

Romam venit Anno M. D. XXIII. benedictioneque ab Adriano ſexto Pontifice Maximo accceptâ, profectionem Hieroſolymitanam adornare eſt aggreſſus; & cùm plurimi eum ab iſto conſilio deterrere conarentur, neque infractùm eius animum & in Deo defixum, longâ periculorum enumeratione à ſententiâ dimouere poſſent; hoc ſaltem ab eo impetrârunt, vt ſex, ſeptemue nummos aureos admitteret, quòd ſine eiuſmodi pecuniæ ſubſidio, nauigationem tam longinquam poſſe confici negarent. Verùm paulò pòſt, cùm id à diffidentiâ, humanoque timore profectum ſibi perſuaderet, atque religioni duceret, quòd ſuo hac ratione deſiderio ac propoſito repugnaret, ſeipſum incuſans damnanſque, primùm de abjicienda cœpit pecuniâ ſecum deliberare, verùm ſatius poſtea duxit eam in obuios pauperes, mendicoſque conferre.

ferre.

Neque verò Diuina beneficentia ampliſſimæ Ignatij fiduciȩ parcâ reſpondit manu. Nam & Venetijs Marcum Antonium Treuiſanum Senatorem Reipub. ſanctiſſimum, noctu excitauit, qui ipſum ſub dio cubantem domum ſuam deduceret;& prouidit,vt inde in Cyprum,& è Cypro in Paleſtinam, ſine naulo, & ſine commeatu vllo veheretur. Et cùm nautȩ iuſto,ſanctoque eius zelo offenſi,in Inſulam quampiam deſertam, importunum monitorem vellent deportare, nunquam ad littus deſtinatum, vento perpetuo reſiſtente, potuerunt appellere. Denique totâ illâ, nauigatione, vti & Hieroſolymis, & in reditu, cùm terrâ iter faceret, Christus ipſe ſe ei cum incredibili ſolatio ſȩpius prȩbuit ſpectandum.

Diceres profectò pactum quoddam inter Deum & Ignatium initum, atque inter eos conuentum, vt hic tantùm de illius obſequio, gloriâque promouenda cogitaret; Diuina autem bonitas, de ipſo dirigendo, ſolando, adiuuando, curam omnem ſibi reſeruaret; atque ita paſſibus æquis ſe comitatentur; hinc fiducia filialis Ignatij, inde prouidentia Dei paterna.

Quæ quidem fiducia inconcuſſa tum maximè ſe prodidit, quando animum ad Socie-

Societatem condendam adiecit, eamque tempore difficillimo amplificauit, & contra tot aduerſarios etiam potentiſſimos eſt tutatus. Quæ tria paucis attingenda.

In primis confirmationem Societatis à ſe deſignatæ, à ſanctâ Sede numquam auſus fuiſſet ſperare, ſi præſidijs tantùm nixus fuiſſet humanis. Nôrat eo tempore Ordinum Religioſorum odioſam eſſe multitudinem, eamque decretis Concilij tum Lateranenſis, tum Lugdunenſis vetitam. Formulam verò ſiue Regulam noui, quod meditabatur Inſtituti, ad Cardinalis Guidiccionij, qui minuendum potius quàm augendum Ordinum numerum cenſebat, remiſſam eſſe iudicium: animum tamen non deſpondit, nimiium IESVM ſibi propitium Romæ futurum perſpexerat: eius auxilio fretus, rem tantam ad finem deduxit optatum.

Confirmatâ verò Societate eodem fretus Diuino fauore, non anguſtis vnius Italiæ limitibus, ſuas finiuit cogitationes, ſed totam Europam, Aſiam, Afr cam; verbo Orbem vniuerſum animo eſt complexus, atque ante obitum ſuum, in omnibus Mundi partibus Societatem à ſe inſtitutam, pedem fixiſſe vidit. Quę ſanè omnia non modò aggredi, ſed ne cogitare quidem

Ignatius

Ignatius vmquam fuiſſet auſus, niſi in Diuinis præſidijs auxilijſque, ſpem omnem ſuam defixiſſet.

Itaque dicere eum ſolitum accepimus, *b* ijs qui res magnas agere meditantur, magnopere cauendum ne plus æquo velint ſapere, & ſuum dumtaxat animum, manumque attendere, atque anguſtæ ſuæ prudentiæ ac facultatis rationem tantùm habere; ad quam ſolam, aiebat, ſi magni illi Chriſti Apoſtoli reſpexiſſent, numquam mundi Sapientes, Principes, ac Reges, Chriſto crucifixo ſubieciſſent.

Atque hanc cœleſtem Ignatij Philoſophiam, præter alios eius diſcipulos præclarè aſſecutus fuit S. Franciſcus Xauerius, qui mentis ſuæ magnitudine totum repleuit Orientem. Hinc ſubinde ille ad ſuos, qui erant in Europâ, literas mittens, ſibi aiebat ſemper verſari ob oculos, id quod ſæpius ab optimo Patre noſtro Ignatio dicebat ſe audiuiſſe, nimirum hominibus Societatis ſummo allaborandum ſtudio, vt pulſo omni timore, ſpem ſuam totam ac fiduciam in Deo reponerent.

Eamdem Ignatij fiduciam & magnanimitatem, Hiſtoriæ noſtræ paſſim celebrant: *c* Et Ribadeneira: Erat, inquit, Ignatius

b *Bart. lib. 4. n. 22.* c *Ribad. lib. 5. c. 9.*

Ignatius voluntate, réque pauperrimus, animo, Deique fiduciâ opulentiſſimus. Quapropter nullum, qui ad Inſtitutum noſtrum aptus, vocatuſque à Deo videretur, à Societate vmquam excluſit propter noſtrarum rerum tenuitatem, illudque frequenter vſurpabat; *Nos quidem Deo ſeruiamus, ille certiſſimè reget nos, & nihil nobis deerit. Iactemus cogitatum noſtrum in Dominum, & ille nos enutriet; ſperemus in Domino, & faciamus bonitatem, & paſcemur in diuitijs eius.*

Quod verò in publicâ annonæ caritate, quando viri etiam locupletes ac Principes inopiæ metu multos è domeſticis & familiaribus ſuis, non ſine rubore aliquo, dimittebant, *d* ipſe familiam augeret, nonnulli, qui omnia humanæ vlnâ prudentiæ metiuntur, temeritati cuidam potius quàm ſapientiæ adſcribebant, vnde vni è domeſticis ſermonem hac de re inferenti, & admiranti: Non ſatis, inquit Ignatius, attendis quæ ſit vis & natura virtutis illius, quam in Theologicis ſecundam Apoſtolus numerat, cui certis, & exploratis in rebus locus eſſe quî poteſt? Spes enim, vt idem ait, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod quis videt, quid ſperat? Neque verò timen-

d *Maffæus lib.*3. *c.*9.

timendum eſſe, ne, qui aues cœli paſcit, & qui lilia agri ſplendidiſſimo veſtit ornatu, quæ neque ſerunt, neque nent, neque in horrea congregant, idem ſuis in Eccleſiâ operarijs nullo ſtipendio laborantibus, neceſſaria ad vitam exigendam alimenta, deeſſe patiatur.

Neque decipi virum ſanctum aut temerè res tantas, tantoque animo ſuſcipere, euentus comprobauit. *e* Quanto enim maior ingruebat rerum penuria & neceſſitas, tantò plura Deo prouidente, ei accedebant ſubſidia. Itaque Nicolao Bobadillæ cum ſtupore aliquo exquirenti; vnde tot alendis hominibus commeatum conquiſiturus eſſet? Cœpit Sanctus Pater enumerare eleemoſynas, quas à pijs expectabat familijs. Atqui hæc, inquit Bobadilla, omnia vix ad dimidium eius quod deſideratur pertingunt. Cui Ignatius, & an in re nullâ nos à Deo vis dependere? neque plura quàm pietas hominum nobis pollicetur, ab illo nos expectare? Ego in manibus Diuinis repoſitum teneo, id quod mihi denegant humanæ; Et ſi hæ mihi omninò nihil conceſſerint, omnia reperiam in Diuinis.

Illâ igitur ſpe ac fiduciâ fretus, Collegium Romanum ſine vllo cenſu, & vectigali,

e *Bart. lib.* 4. *n.* 23.

gali, cum multis verò nominibus, ædificare eſt aggreſſus: Et primùm Socios octo & viginti eleemoſynis in eo alere: paulò pòſt etiam mandare, vti ſuprà attigimus, Oliuerio Manaræo eius Rectori, vt cubicula, ſupellectilem, victumque pro duobus & ſeptuaginta inſuper alijs pararet. Quod dum ille æquè fidenter exequitur, ſimul ſubmitti eâ copiâ eleemoſynas attonitus aduertit, vt omnibus ſoluendis ſumptibus ſufficerent. Prorſus ac ſi expenſæ ab Ignatio factæ Dei rationibus fuiſſent adſcriptæ, quas ipſe mox, vt factæ erant, eleemoſynis viâ non expectatâ ſubmiſſis, diſſolueret: vt omnibus conſtaret, Deum nominibus, à Viro Sancto pro eius gloria contractis, veluti onerari.

Secutâ deinde illâ, de qua ſuprà meminimus, annonæ caritate non defuerunt qui Ignatio ſuaderent, vt magnam domeſticorum partem, ad alia ablegaret Collegia. Verùm Vir Sanctus ad hoc adduci numquam potuit, neque quicquam de ſuâ illa firmiſſimâ in Deum fiducia remiſit. Et Diuina ipſi non defuit cura, ſed illam prorſus paternam eſt expertus. Nullum toto illo tempore vel vnius oboli ſenſit defectum, prorſus ac ſi publica illa egeſtas, non Collegio, verùm externis dumtaxat,

eſſet

eſſet immiſſa. Quod cùm ſecum ponderaret Ludouicus Gonſaluius, diceretque profectò eſſe miraculum. Et quod illud, inquit Vir Sanctus, miraculum? Miraculum vtique foret ſi ſecus eueniret; Deum enim deeſſe ei, qui ipſi fidit, neque opem illi ferre, eſſet prodigium certè portentoſum. An necdum obſeruâſti quantùm numerus noſtrorum eſt auctus, tantumdem ſimul excreuiſſe ſubſidia ad eos alendos? Seruiamus nos fideliter Deo, eique curam illam nobis proſpiciendi relinquamus. Ego, ſi è bono Societatis foret, æquè facilè mille in eam reciperem, atque illos centum, Deo enim tam expeditum eſt mille, quàm centum ſuſtentare.

Tantos Ignatio animos Diuini præſidij Fiducia in condendâ, amplificandâque Societate præbebat; at non minores in tolerandis, & ſuperandis ijs, quas plurimas grauiſſimaſque paſſus eſt oppugnationibus. Notum eſt quantas contra illum obtrectationes, iniurias, calumnias, accuſationes, vincula & carceres; Compluti, Salmanticæ, Pariſijs, Venetijs, Romæ coniuratus quodammodo tartarus concitârit. Quas quidem dum de ſuo tantùm agebatur capite, ſilentio & contemptu quodam generoſo Vir Sanctus deſpexit; immo ga-

uiſus fuit, quod dignus habitus eſſet pro nomine IESV contumeliam pati, cui ſemper cauſam ſuam, reiecto patrocinio omni humano, commiſit: Et ex omnibus illis, ita eum Dominus eripuit, vt non modò innocens, ſed & glorioſior ſemper rediret.

Iuſti voluminis res eſſet, ſi omnia, quæ hoc in genere ei acciderunt perſequi vellemus: vnam tantùm è multis tempeſtatem paucis attingam. Biennio ante confirmatam à Paulo III. Societatem, Romæ ingens contra ipſum & Socios exorta eſt procella. Auctor eius fuit Monachus quidam Pedemontanus, qui occultè Lutheranus è pulpito contra Ignatium & Patres, quos ſibi aduerſos erat expertus, declamare cœpit: & vt erat æquè facundus ac nequam, eos velut hæreticos peſtiferos apud populum depinxit: Ignatium verò auſus eſt aſſerere, pridem de hæreſi grauiſſimiſque criminibus, Compluti, Pariſijs, Venetijs & alibi accuſatum damnatumque, fugâ rogum mortemque infamem declinâſſe; ita tamen, vt ſcripta quędam eius, incendium & carnificis manum euadere non potuerint. Fidem tam atrox calumnia apud credulum inuenit populum: Patres, qui antè velut homines Sancti, & de cœlo lapſi, in

ſummâ

ſummâ apud omnes fuerant veneratione, iam digito velut mortalium ſceleratiſſimi, monſtrari, omnibus odio, ac deteſtationi eſſe, à nemine amplius, infamiæ contrahendæ metu, adiri vel audiri: Quin etiam duo Sacerdotes, qui illos in excipiendis frequentiſſimis peccatorum confeſſionibus adiuuerant, clam fugâ ſe ſubducere, ne eâdem, quam imminere credebant, cùm Patribus, ruinâ inuoluerentur. Tantùm denique calumniarum, iniuriarumque fluctus illi inualuere, vt nihil propius abeſſe videretur, quàm vt infirma adhuc, & tenera Societatis nauicula, illis oppreſſa mergeretur: Dominus autem, vti in Euangelicâ illa procellâ, dormire videbatur.

Ad illum igitur non modicâ ſua fide excitandum Ignatius tandem accurrit: probè gnarus tum maximè in Diuino ſperandum auxilio, cùm rebus ad extrema deductis, de omni humano eſt deſperatum. Repræſentauit Domino Diuinum ſuum promiſſum, quo Cruce oneratus nuper addixerat, ſe Romæ Societati propitium futurum: Crucem, inquiebat Ignatius, tuam Domine ſentimus, fac vt etiam te propitium iam experiamur. Cùm igitur Vir Sanctus ab omnibus amicis eſſet derelictus, vno dumtaxat Quirino Garſonio, in

cuius ædibus degebat, cui eius probè erat perſpecta innocentia, excepto; adſuit Dominus adiutor opportunus. Nam primò per eumdem Garſonium aditum ad Cardinalem de Cupis, Sacri Collegij Decanum inuenit Ignatius: quem cùm allocutus fuiſſet, repente & non ſine hominum admiratione, ex infenſo aduerſario ſibi amicum atque benefactorem reddidit eximium. Tum manifeſtâ Numinis prouidentiâ, Romæ, diuerſis quidem de cauſis, ſed tamen eodem tempore comparuerunt ijdem, qui de accuſationibus Ignatij Compluti, Pariſijs & Venetijs cognouerant & pronuntiârant; & ij ipſi, qui antea ſententiam, iam etiam teſtimonium de eius innocentiâ tulerunt. Allatæ inſuper honorificentiſſimæ de Patrum virtute à præcipuis Italiæ, vbi laborârant, Vrbibus & Principibus literæ. Subornati deinde à Pedemontano illo teſtes, in iudicio, de impoſturâ & mendacio palam conuicti; atque demum ipſo Paulo Pontifice iubente, ſententia à Conuerſino Vrbis Pręfecto lata; quâ non modo innocentia Ignatij, Sociorumque eius, ſed & magna eorum virtus, laudeſque eximiæ ſunt declaratæ.

Ita Deus in ſe ſperantes non dereliquit; & glorioſior poſt toleratam illam procel-

lam,

lam Societas, cœlo aſpirante curſum ſecundiſſimum tenuit Huius rei ſeriem accuratam Hiſtorici Societatis texuerunt. f Quam apud Ribadeneiram, Maffęum, Orlandinum, & nouiſſimè apud Danielem Bartolum, ſuis egregiè depictam coloribus eſt videre.

Sectio Tertia.

Quanta in Deum Fiduciâ & quibus temporibus Superior niti debeat.

SPem ac fiduciam in Deo quantopere Chriſtus in ſuis requirat, luculentè ea, quæ narrata ſunt, ob oculos ponunt. Ex ijſdem etiam haud fuerit difficile colligere, quomodo acquiri & augeri eadem virtus poſſit, tum quibus maximè temporibus ſit neceſſaria.

Ad prius quod attinet, ex puritate conſcientiæ, familiaritate & vnione cum Deo, atque vno verbo ex ſanctitate vitæ, eam enaſci in confeſſo eſt: *Chariſſimi*, inquit S.Ioannes, *a ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Facit

f *Ribad.l* 2. *c.*14. *Maffæus l.*2.*c.*8. *Orland. l.* 2.*n.*47. *Bart.l.*2.*n.*42. a 1.*Io.c.*3.*v.*21.

cit enim Deus voluntatem timentium ſe, & qui iuſtitiam, puritatem mentis, vitæ ſanctitatem colunt; adhæc oratione, & contemplatione aſſiduâ cum ipſo conuerſantur, infinitę ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, ac prouidentiæ eius theſauros animo facilè concipiunt, atque inde ad certam illam ſpem, ac fiduciam aſſurgunt. Hoc Apoſtolus nos docet; b *Iuſtificati, habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in quâ ſtamus, & gloriamur in ſpe.*

Porrò per iſtam ſpem, vt loquitur Propheta, c viri iuſti *mutant fortitudinem*, ſuam ſcilicet debilem & caducam cum diuinâ. Experiuntur verò quæ Dominus ipſe promiſit, tum in Euangelio, locis à nobis allegatis, tum alibi ſæpius, & per Pſalmiſtam: d *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, eripiam eum, ac glorificabo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.*

Atque hinc veram & Chriſtianam mente concipiunt magnanimitatem, quam ex ſpe illâ ac fiducia conſequi indicauit Apoſtolus, cùm verbis ſupra allatis adiecit; *Non ſolum autem gloriamur*; ſcilicet in ſpe, *ſed & gloriamur in tribulationibus*; quibus nimirum per ſpem ſuperiores exiſtimus

b *Rom*. 5. *v*. 2. c *Iſa*. 40. d *Pſ*. 90. 14

mus, & celſitatem quamdam mentis ſupra caſus acquirimus humanos. De talibus loquitur Bernardus *e* cùm dicit: *Magna audent, quoniam magni ſunt; & quicquid audent obtinent. Magna ſiquidem Fides, magna meretur, & quatenus in bonis Domini fiducia pedem poſueris, câtenus poſſidebis.*

Magna profectò auſus eſt Petrus, qui cùm eſſet homo idiota, plebeius, mechanicus, piſcator, & vt de ſeipſo dicebat, operarius, tantæ virtutis opera aggredi non dubitauit, nempe non modò Romæ & Hieroſolymæ, ſed orbis pænè vniuerſi conuerſionem. Nimirum vti alios docuit, ipſe omnem ſollicitudinem projiciebat in Deum, cui ſciebat ſe curæ eſſe. *f* Quæ fiducia eum in ipſis vinculis & carceribus ſecurum reddebat. Nam cùm ab Herode comprehenſus, & dies ſupplicio à nefario Rege deſignatus adeſſet, *g* quo ad mortem ducendus erat Apoſtolus, ipſe vinctus in medio militum, & in proximo mortis periculo, ſui ſecuriſſimus altum dormiebat, & vt excitaretur, latus eius ab Angelo fuit percutiendum: *Dormit*, inquit Chyſoſtomus, *h corpore Petrus: ſed corde ad*

K 4 *Deum*

e *Serm.*32. *in Cant.* f 1.*Pet.*5. *v.*6. g *Act. c.*12. h *Hom.*8. *in Ep. ad Epheſios.*

Deum vigilat, Deus vero cuſtos ipſius nec dormitat, nec dormit. Immò cum ipſo fuit in tribulatione, & vt ei ſolemne eſt, tunc cùm res ad extrema ferè adducta eſſet, auxiliator adfuit opportunus.

Magna quoque eâdem fiduciâ fretus Paulus egit, & paſſus eſt, *i in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter:* vt ipſe enarrat. Hinc illa eius pronunciata: *k ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* Et, *l Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et, *m Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quæ ſanè demonſtrant, quàm parum ſibi tamquam infirmiſſimo, & quantum Diuino auxilio, vtique potentiſſimo, in omnibus Magnus Apoſtolus tribueret: quod cùm in illo Auguſtinus notaret, exclamauit: *n bene infirme, firmiſſimè eris exaltatus, quia non es ingratus. Tu es idem ipſe Paulus, in te paruus, in Domino magnus.* Hac ergo Dei fiduciâ nixus potuit dicere: *o in omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur, perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; dejicimur, ſed non*

i 2.*Cor.c.*11. *v* 23. k *Rom.c.*8.*v.*31. l *Philip.c.*4.*v.*13. m 2. *Cor. c.*3.*v.*14. n *Serm.* 13.*de verbis Domini.* o. 2.*Cor.c.*4. *v.*8.

non perimus. Deus nimirum illi & in ærumnis cordis latitudinem, & in egeſtate ſufficientiam, & in oppugnationibus opem, & in oppreſſione leuamen ſubminiſtrauit.

Quod quidem tum ſæpè aliàs, tum præſertim tunc expertus fuit, cùm Romæ ad tribunal Neronis, ſæui Principis (quem vt Hieronymus ſentit, *p* leonem ob crudelitatem nominat) euocatus; ſolùm ſe ſine vllo præſidio, ſine patrono & Aduocatò deprehendit; Diſcipuli enim omnes, qui in vrbe magno erant & numero, & auctoritate, eum vti quondam Chriſtum deſeruerant, metu nimirum crudeliſſimi tyranni. Quod Apoſtolus Timotheo ſuo indicare non omiſit; *q In primâ mea*, inquit, *defenſione, nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur; Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, & liberatus ſum de ore leonis.* Qui Apoſtolum ſolum, egenum, catenâ vinctum, ante Cæſarem eiuſque Tribunal, ſtantem ſibi potuerit ad viuum animo repræſentare, facile apud ſe ſtatuet, quantâ ipſi animi magnitudine, atque in Deum fiduciâ tunc fuerit opus.

p *Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. in Paulo.*
q 2. *Tim.c.4. v.16.*

Atque hæc illa eſt animi magnitudo, quam præ cęteris exigit S. Ignatius in Præpoſito cuius deſcribit Ideam: r *Animi magnitudo*, inquit, *ac fortitudo eſt ei pernecesſaria, ad infirmitatem multorum ferendam; & res magnas in Diuino ſeruitio aggrediendas, in eiſque conſtanter, quando id conuenit, perſeuerandum, non propter contradictiones (licet à magnis & potentibus excitatas) animum deſpondendo, nec ab eo quod ratio, & Diuinum obſequium poſtulat, vllis eorum precibus aut minis ſuperari ſe ſinendo: vt omnibus demum caſibus qui incidere poſſint, ſit Superior; nec proſperis efferri, nec aduerſis deijci animo ſe permittat.*

Quam quidem veram animi magnitudinem is qui in Deo ſpem omnem ſuam, ac fiduciam ponit, & præterea aſſequitur nemo.

Iiſdem verò verbis etiam docet S. Pater id quod poſteriùs propoſitum fuit, quibus potiſſimùm temporibus magnanimitas illa, & Fiducia ſit neceſſaria Et primò quidem cùm; vt capitibus præcedentibus, demonſtrauimus Rectoris animarum ſit eas perficere; & vt Bonauentura diſſerit: ſ *præcipuè ad hoc ſtudere debeat, vt ſibi commiſſos faciat*

r *P.9. c. 2. §.5.* ſ *De 6. Alis c.6. n. 6.*

faciat Chriſtiformes, id eſt, vt formam vitæ ac doctrinam Chriſti eis imprimat, vt non ſolùm mente eum attendant, ſed & moribus imitentur; Diuinâ protectò ope indiget ſummopere, tum ad virtutes mentibus eorum inſerendas, tum ad vitia corrigenda, eaque identidem repullulantia reſecanda. Quę quidem officia, quanti ſint molíminis, per ſe notum eſt. Non humanę facultatis, prudentiæ, aut induſtrię eſt, menti humanę ſanctitatem ingenerare; Vnius Dei hoc opus eſt: plantare poſſunt homines, rigare poſſunt, at ſolius Dei eſt incrementum dare. Huius ergo auxilio opus eſt, & in eo fiducia omnis collocanda. Neque animo bonus Paſtor continuò cadat, ſi, vt Bonauentura notat t *paucos proficere videat, & quia per multos conatus ſuos, ea quæ multo labore in modico iam emendare cœperat, ex facili iterum dilabi, & propter plures difficultates & obſtacula profectum ſpiritualem impedientia, quaſi in deſperationem tendere fructum laboris ſui. Speret in Domino, & faciat inceſſanter bonitatem, benedictionem tempore opportuno dabit legiſlator Deus, vt eant de virtute in virtutem.*

Secundò

t *Cap.* 5. *n.* 3.

Secundò ad magna pro Dei obſequio & gloriâ peragenda, ſpes & Fiducia magna requiritur: occurrent enim negotia ardua, implexa, difficilia, pro ſubiectorum animarumue bono curanda, fabricæ erigendæ, cum Principibus, Magiſtratibus, Magnatibus res tractandę; in illis, alijſque id genus, puſillanimitas, & timor naturæque imbecillitas ſuperanda, atque ad Deum oculi mentis eleuandi; dicendum tunc cum Propheta. u *Quoniam tu es Domine ſpes mea*: Et cum Bernardo. x *Quidquid agendum ſit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quicquid operandum, tu es Domine ſpes mea.* Imbecilla enim, quin immò inutilia prorſus ſunt humana omnia præſidia, prouidentiæ fallaces, induſtria manca, niſi manum operi adiungat is qui errare non poteſt, qui deficere, qui mutari non poteſt. Suadet hoc Auguſtinus his verbis: y *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum Domine, ne ſperent in his rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt: nihil habentes, niſi Erit & Fuit.*

Tertiò ad ſuperandas, aut certè fortiter, & Chriſtiano animo tolerandas aduerſitatum

u *Pſal.*90. x *Serm.*9. *in Pſal. Qui habitat.* y *In Pſal.*9.

tatum procellas, ingenti in Deum opus eſt fiduciâ. Illæ vtique numquam deerunt, ſiue ab externis, ſiue ab ipſis domeſticis excitatæ. Pro vigiliâ, labore, curâ, & ſollicitudine paternâ, maledicta, & malè etiam facta non rarò Præpoſitus patietur.

Verùm his non moueatur, teſtem ſuum in cœlo aſpiciat, ei & fidat,& cauſam ſuam committat, ab illo tutelam, ſuo tempore expectet. *Quando in ſe ſperanti deſit illa Majeſtas,* ait Bernardus z *quæ tam ſtudioſè monet in ſe ſperari? Planè non derelinquet ſperantes in ſe. Adiuuabit eos,& eruet à peccatoribus. Quære quibus meritis? quia ſperauerunt in eo: de quacunque, inquit, tribulatione clamauerint ad me,exaudia meos; ecce numera tribulationes.* Et Auguſtinus: α *nulla preſſura vos terreat, nulla calamitas frangat, Dominus in proximo eſt, & Paſtor noſter circa nos eſt, quid metuimus?* Deo itaque fidens Superior alto & exaggerato deſpiciat animo turbidas illas procellas, quæ maiori ſono,quàm damno mox concident; Dicat cum Sancto Rege. β *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* Quin immo ijs, quos patietur aduerſarios, non

z *Serm.9. in Pſ. Qui habitat.* α *Lib.de Salutaribus Documentis c.57.* β *Pſ.59.*

non omittat facere benè, nihilque eis de paternâ ſubtrahat curâ. Dignum Deo, cęlitibuſque erit ſpectaculum, *inter ipſas ſæculi ruinas*, vt loquitur Cyprianus γ *erecta mens*, *&* *immobilis virtus*, *&* *numquam non læta patientia*, *&* *de Deo ſuo ſemper anima ſecura*.

Poſtremò, in egeſtate & rei familiaris penuriâ, quâ angi maximè ſolent mortales, abiectâ inquietâ illa ſollicitudine, ſpes firma diuinæ curæ & Prouidentiæ, animo eſt imprimenda. Non poteſt hæc potentioribus ſuaderi rationibus, quam ijs quas à Diuinâ ſapientiâ excogitatas & prolatas, ſuprà attulimus; Quibus & modicam diſcipulorum fiduciam caſtigauit, & anxias illas de victu veſtituque curas, potentiſſimè proſcripſit. Quod ſi illa omnibus etiam de vulgo Chriſtianis dicta ſunt, quantò magis ijs locum præbebit animarum Rector? & maximè Prælatus religioſus, qui pro grege ſuo, Diuinæ quodammodo oppignoratos habet prouidentiæ theſauros? cùm illis præſit, qui omnibus relictis ſecuti ſunt Chriſtum. Quibus vtique centuplum eſt promiſſum.

Iactet, inquit Bernardus, δ *cogitatum ſuum*

γ *Ad Demetrianum Iudicem*. δ *Serm*. 9. *in Pſ. Qui habitat.*

ſuum in Domino, ſciens quod enutriendus ſit ab illo, ſicut ſcriptum eſt: omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis. Ad quid enim, ſi hæc ſapimus, ad quid cunctamur abjicere omnino ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias, & huic vni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei, totâ deuotione animi, toto feruore ſpiritus inhærere?

Abjiciendæ vtique ex melliflui Patris ſententiâ, ſpes vanæ & inutiles; cauendumque ne hominibus, vt eorum auxilium lucretur, animarum Rector, nimiùm ſtudeat placere, inferiorum vitia diſſimulet, legum tranſgreſſiones toleret; diſciplinam laxet; indulgeat quæ non oportet ijs à quibus rei familiaris ſperat ſubſidia. Quantùm hac ratione ſpei tribuet hominibus, tantùm auxilio ſubtrahet Diuino, cœleſtibuſque bonorum largitionibus tranſitum præcludet. Memor potius ſententiæ & promiſſi dati à Seruatore: quærat ante omnia regnum Dei, & cætera omnia adijci ſibi experietur.

Diuinam gloriam, animarum ſalutem, ſtudium perfectionis, exactam Regularis diſciplinæ cuſtodiam, magno promoueat ſtudio; & cum certâ fiducia meritò expectabit,

ctabit, & experietur cætera neceſſaria omnia adijci, etiam abundanter.

Memor ſit Eliæ Prophetæ, quem Deus in ſe fidentem miris modis ſuſtentauit. ε Primò præcepit coruis, vt paſcerent eum: & rapaces illæ voraceſque volucres, Deo obtemperârunt, carnem, panemque genio ſuo ſubtractum, Prophetæ manè, & veſperi detulerunt. Deinde Viduæ paupercuæ, cui nihil præter modicum ſupererat farinę & paululum olei, præcepit Dominus vt paſceret Prophetam. Atque vt paupercula illa dare aliquid poſſet, auxit Dominus farinam & oleum, ita vt & Eliæ, & familiæ ipſius copiosè ſufficeret. Denique dormienti illi, ζ & nil minus curanti aſtitit Angelus; panem atque aquam detulit, quibus mirificè ad multos dies vires eius fuerunt inſtauratę.

Ita, ſi Superior Elię zelum, virtutemque æmuletur, Dominus etiam coruos; hoc eſt, peccatores, raptores, iniquos adiget, vt ſibi ipſis ſubtrahant, quæ filijs Dei largiantur; pauperibus ſubminiſtrabit, quæ erogare illis poſſint; & ſi talibus non proſpiciat modis, ſubmittet Angelos, adminiſtratorios ſuos ſpiritus, qui neceſſaria deferant.

Talia

ε 3. *Reg. c.*17. *v.*4. & 9. ζ *Ibid. c.*19. *v.*6.

Talia equidem ſæpiſſimè eueniſſe, ſacræ teſtantur Hiſtoriæ: Nimirum quantò maiorem habent homines erga Deum fiduciam, tantò plura è diuite eius penu munera conſequuntur: Magna, immo maxima obtinent ij, qui magna pollent fiduciâ; parua, aut nulla qui eâ carent. Omnibus fit ſecundum eorum Fidem.

Quæ dum de Fiduciâ illa prædico, non ita capi velim: quaſi ſolâ iſta virtute niti Superiorem oporteat, ſine vlla curâ, aut induſtriâ: hæc enim profectò adhibenda eſt, ſed moderata, non anxia illa, quam vetat Dominus, & μέριμνα Græcis dicitur. Qualis autem hæc in rei familiaris adminiſtratione eſſe debeat, paulò exactius eſt inueſtigandum.

SECTIO QVARTA.

Qualis in rei familiaris adminiſtratione cura ſit adhibenda.

AD vitam hanc mortalem ſuſtentandam quædam neceſſaria ſunt. Ita diuinæ ſapientiæ hominem condere placuit: Nempe, non vt Angelum, à materiæ concretione, nexuque omnino liberum; verùm moli iſtius corporis animalis affixum.

ſixum. Pendet igitur mens hominis nobiliſſima, in ſuis operationibus ab organo corporeo. Onus vtique grave animæ cæleſti. Quapropter hanc alijs curis ſuis adiungere Animarum Rector cogitur, vt prouideat, ne ea quæ ad corporis ſuſtentationem, ad victum, veſtitum, habitationem, aliaque id genus requiruntur, deficiant.

Iubet quidem Deus nos ſine ſollicitudine illa anxiâ eſſe, Fiduciam magnam in paternâ eius prouidentiâ collocare, etiam petentibus dare omnia neceſſaria promittit. Verùm ceſſare nos vetat, manum iuxta vetus dictum *a* vult moueri ſecum, & laborari. Vidit hoc, & rectè dixit Salluſtius, quamuis Ethnicâ phraſi: *Si te ignauiæ, & ſocordiæ*, inquit, *tradideris*, *ne quicquam Deos implores*, *irati infenſique ſunt*. Humano generi magnus ille Pater familias, in toto vniuerſo prouidet; at agros arari, ſeri, occarique; pecorum greges & armenta cogi, atque ali vult. Ipſe deinde de cœlo labori, & induſtriæ benedicit, rebuſque ab homine plantatis dat incrementum.

Iam quid in curâ illa obſeruandum ſit, paucis expedit notari. Et quia diuerſæ Com-

a σὺν θεῷ χεῖρα κίνει.

Communitates diuerſis hac in re vtuntur, ſiue legibus, ſiue vſu, ea ſolùm quæ ferè omnibus ſunt communia, vel eſſe certè poſſunt, ſubiungam.

Primùm Superior curam rei familiaris, iuxta Sancti Thomæ ſententiam, in ſecundis numerabit. Prima ea eſſe debet, vt qui ipſi ſubditi ſunt, animæ bona conſequantur, & ſecundum eum, quem profitentur ſtatum, in virtute ac ſanctitate proficiant. Idcirco rerum, quas ſpirituales vocamus, curam ſibi potiſſimùm ſeruet; rei verò familiaris adminiſtrationem, alijs committat. Ne fortè rerum terrenarum tumultibus obrutus, minore ad internas animo feratur. Tales enim ſubinde inueniri Superiores queritur Gregorius. *b Sæpe*, inquit, *nonnulli, velut obliti quod fratribus animorum cauſa prælati ſunt, toto cordis anniſu ſæcularibus curis inſeruiunt; has cùm adſunt, ſe agere exultant, ad has etiam cùm deſunt, diebus, ac noctibus cogitationis turbidæ æſtibus anhelant; ſicque fit, vt dum vrgeri ſe mundanis tumultibus gaudent, interna, quæ alios docere debuerunt, ignorent.*

Cui conſentit Bonauentura *c qui eos meritò* perſtringit Rectores, *qui facilius inueniunt*

b *Paſt.p.2.v.7.* c *De 6. Alis c.7. n.7.*

ueniunt, quibus curam animarum committant, quàm rerum ſuarum temporalium.

Secundum, non ita tamen alijs, ſiue Adminiſtratoribus, ſiue Procuratoribus rem familiarem (quam temporalem, velut oppoſitam ęternæ iuxta Quintilianum *d* vocamus) relinquet, vt à ſuâ eam prouidentiâ excludat. Sunt enim ea temporalia, quæ ad Eccleſiam, ſeu Ordinem religioſum pertinent, *bona Domini noſtri IESV CHRISTI*, vt loquitur S. Ignatius. *e* Et ſine illis, nec virtus, nec opera ſpiritualia ſiue ęterna, nec ipſa communitas ſubſiſtere poteſt. Quod ſi ea deficiant, etiam aliquâ in parte, innumeræ orientur perturbationes, querimoniæ, murmura, quæ maiora impedient bona.

Tertium. Prorſus igitur neceſſarium eſt, vt Procuratoribus quidem ſuis ita omnem rerum temporalium committat, atque etiam relinquat adminiſtrationem, vt tamen, quemadmodum præſcribit S. Ignatius, ipſi *totius adminiſtrationis ratio conſtet*. Sciat itaque oportet, quę prædia, cenſus, iura aliaque huc ſpectantia domus poſſideat, quibus oneribus ſiue perpetuis, ſiue redimibilibus grauetur; quibus controuerſijs,

d *Lib.* 6. *c.* 3. e *P.* 3. *c.* 2. *§.* 7.

uerſijs litibuſque implicetur.

Si eleemoſynis ſuſtentatur, quænam illę quotannis, & vnde conquirantur, vt pro Benefactoribus preces Deo curet offerri. Niſi talem ſibi Superior quiuis compareт notitiam; mancipium erit ſuorum Miniſtrorum; ab eorum pendebit arbitrio & conſilio; fouebit eorum audaciam, vt cùm ſe neceſſarios exiſtimabunt, legem ipſi imponant. In rebus dubijs & perplexis conſilium dare non poterit, ſed neque auxilium opportunum, quod tamen à maiore Poteſtate & auctoritate, non raró miniſtri coguntur poſtulare.

Quartum. Plurimum fidat ſuis Procuratoribus, atque id non obſcurè quâuis præ ſe ferat occaſione. Quòd ſi honoratiora aliqua ſunt agenda, eorum partem, ſi non omninò omnia, ipſis relinquat. Ita maiori diligentiâ & propenſione res gerent, eas tamquam ſuas amplectentur, induſtriam omnem exerent ſuam. Nihil æquè Miniſtrorum, & animos & diligentiam infringit, quàm Superiorum diffidentia, qui, ſi manum quoque rebus exequendis admoueant, langueſcet illico Admiſtratoris induſtria, & partem ſollicitudinis ſuæ ac fortè etiam totam, relinquet.

Quintum. Huic tamen plenę fiduciæ,

non

non repugnat vigil Superioris oculus, qui adminiſtrationis, rerumque quę geruntur, ſucceſſui intendat. Itaque non omnia omnibus ſunt committenda, ſed ſingulorum facultas eſt attendenda.

Inſuper de ijs quę maioris videbuntur momenti, ad ſe Superior iubeat negotijs deferri, neque ea ſine conſilio, vel ſuo confici conſenſu permittat. Talia ſunt alienatio vel emptio rerum maiorum, contractus locationum, cenſus noui creatio, vel veteris extinctio; Fabrica non exigua, & ſimilia. Denique rationes dati & accepti ſingulis menſibus accuratè exigat, atque coram ijs quorum intereſt, examinet. Quę, aliaque in Societate *f* particularibus præcepta ſunt Regulis.

Neque verò Prælatus quiſpiam, dignitati ſuę curam illam minimorum repugnare arbitretur. Nouimus magnos Principes, & illos quidem etiam *g* Supremos, qui rationes frequentes ad ſe iubebant referri, eaſque accuratè ipſimet luſtrabant, & rubricâ notabant, ſi quid vel in acceptis neglectum, vel in datis profuſum, obſeruarent. Et hi rem, & ærarium præclarè admini-

f *Regulis Rectoris & Procuratoris.* g *Ser. Maximil. Bauariæ Dux & Princeps Elector.*

miniſtratum, poſteris reliquerunt.

Denique Superioris illa vigilantia, hoc aſſequetur, vt cùm Miniſtri viderint Inſpectoris ſeduli ſe obſeruari oculis, atque actiones omnes ſuas ad accuratum vocandas eſſe examen; nil negligant, nil temere aggrediantur, nil demum inutiliter, profusè, ac prodigè expendant.

Poſtremò ex ijs quæ hoc capite allata ſunt, patet non immeritò à Reuerendo admodum Patre noſtro Goſvvino Nickel Societatis Præpoſito Generali eos Rectores perſtringi. *h* Qui *Domus ſuæ inopiam paſſim obijciunt & lamentantur*. Nam ſi primò quærerent regnum Dei, & iuſtitiam eius, tum magnâ in Diuinâ beneficentiâ ſpe, ac fiduciâ niterentur, & denique diligenter infinitæ illi bonitati adlaborarent, eamque inſtanter ſuis precibus ſollicitarent, nihil illis deeſſet.

PARS

h *In eius epiſtola circa finem.*

PARS SECVNDA.

De Prudentia & Iuſtitia.

GVBERNARE, opus eſt rationis. Eę igitur Virtutes, quæ rationem perficiunt, Superiori pręcipuè ſunt neceſſariæ: Prudentia nimirum, quę intellectui, & Iuſtitia, quę ſoli ineſt voluntati; Atque has quidem duas virtutes, Regi maximè proprias, Doctor Angelicus aſſeruit. *a* Et hoc ipſum per Prophetam Spiritus Sanctus nos docuit. *b* *Regnabit Rex*, inquit, *& ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam.* Quamquam autem illæ virtutes etiam in ijs qui parent, reperiuntur, alio tamen modo ab eo qui regit, exercentur: Et Philoſophus *c* Prudentiam, quam dicit eſſe virtutem propriam eorum, qui imperium obtinent,

a 2. 2. *q*.50. *a*.1. *ad*.1. b *Ierem*.23. c *Lib.* 3. *Polit*. *c*.3.

obtinent, reperiri, ait, in Principe, eo modo quo ars eſt in Architecto: in ſubiecto verò quemadmodum ars eſt in eo qui manibus operatur. Quod ſimili ducto ab eo qui tibias fabricatur, & eo qui ijs vtitur, explicat. *d*

Poſtquam igitur de Charitate, quæ naturæ vires excedit, nonnulliſque eius affectis actum eſt, de duabus quoque illis naturalibus virtutibus eſt tractandum; quæ Theologicis illis ſubditæ ſunt. Charitatem enim, & dona eam comitantia, S. Thomas *e* motiuum ſuperius, virtutes verò morales & naturales, motiuum inferius vocat; atque ſe habere aſſerit ſicut ſpiritum & corpus. Quapropter Paſtorum princeps Chriſtus, cùm in primo Vicario ſuo Petro charitatem requiſiuit, tamquam virtutem primam & ſupremam, non excluſit has inferiores, quæ iuxta Diuinæ ſapientiæ ordinem, illius quædam ſunt adminiſtræ eiuſque imperio ſubiectę. Primò igitur de Prudentia, tum de Iuſtitia, paucis erit agendum.

L CA-

d ὥσπερ αὐλόποιος ὁ ἀρχόμενος, ὁ δὲ ἄρχων αὐλητὴς ὁ χρώμενος. e 2.2. *q.* 52. *a.*2. *in c.*

CAPVT PRIMVM.

De Prudentia, eiuſque ſpeciebus & partibus.

PRudentiæ nomine, perſpicaciam quamdam ſignificari volunt, & Iſidoro Prudens dicitur, quaſi porro-videns, quia perſpicax eſt, & incertorum videt caſus, vti Doctor tradit Angelicus. *a* S. Auguſtinus. *b* vocat eam *appetendarum & vitandarum rerum ſcientiam.* Eſt nimirum habitus intellectus, quo diriguntur actiones humanę, vt honeſtè fiant, atque adeo Regula quædam eſt, ac menſura omnium virtutum, vt neque excedant, neque deficiant ab eo quod recta ratio dictat, quod etiam Decorum vocant. Itaque idem Auguſtinus alibi docet. *c Prudentia eſſe, diſcernere ea quibus adiuuetur homo ad tendendum in Deum; ab his quibus impediri poteſt.* Et hoc quidem Chriſtianè. Nam vetus Philoſophia, honeſtatem ſolam, ſiue rationis rectitudinem ſpectabat, quam charitas vlterius, ad Deum, finem ſuum, rapit. Sed illud

a 2.2. *q.*42. *a.*1. *in c.* b *Lib. de libero arbitrio.* c *Lib. de Moribus Eccleſiæ c.* 5.

illud verè Philoſophia Peripatetica tradidit, Prudentiam non verſari in fine, ſed in medijs.

Et Prudentiam quidem, tanti fecit Socrates, vt illam ſolam virtutem eſſe dictitaret, & ſi quæ aliæ virtutes nominentur, eas tamen in re non eſſe aliud quàm Prudentiam. Hoc nimium viſum eſt Philoſophis eius ſucceſſoribus, qui directionem illi moralium omnium virtutum adiudicârunt, neque quicquam præterea. Quod etiam S. Antonius perſpexit, qui Prudentiam vocauit aurigam virtutum. Laudauit illam aptè Philo, quando dixit Prudentiam eſſe inter virtutes, quod aurum eſt inter metalla.

Non vnam porrò Prudentię ſpeciem eſſe docuerunt, ſed aliam perſonalem ſiue Monaſticam; aliam vocârunt gubernatricem. Illam bonum cuiuſque particulare, hanc verò bonum commune ſpectare. Et gubernatricem quidem, aliam bonum familiæ, quæ œconomica dicitur; aliam bonum Reipublicæ, Ciuitatis, vel Regni, quam Politicam dixerunt.

Iam Prudentiæ omnis tres veluti partes, ſeu officia Philoſophus ſtatuit. Primùm, de re agendâ conſultare. Secundum rectè iudicare, ſeu ſtatuere quid agen-

dum. Tertium præcipere, ſiue voluntatem ad conſenſum, & executionem mouere. Ad omnes verò Prudentiæ, tum ſpecies, tum partes, tria pertinent. Præterica recordari; præſentia cognoſcere; futura præuidere.

Nos de ea Prudentiæ ſpecie hîc agimus, quæ ad bonum commune refertur, quam Gubernatricem vocauimus, quâ nimirum, ſiue Familia, ſiue Reſpublica religioſa ad finem ſibi præſtitutum dirigitur.

CAPVT SECVNDVM.

De Conſultatione, primo Prudentiæ officio.

SI Philoſopho credimus. *a Prudentis maximè opus eſt, bene conſultare*, idque ob rationes quas vltima lectione proferemus. Nunc in ipſo veræ Prudentiæ fonte Chriſto, huius officij nobis monita & exempla conſideranda ſunt.

S E-

a *Lib. 6. Ethic. c. 8.*

SECTIO PRIMA.

Chriſtus ipſe conſultare eſt dignatus.

NOn indigebat vtique Dominus, etiam vt Homo, conſultatione, aut alieno conſilio; cùm in eo omnes exiſterent ſapientiæ theſauri, & à Propheta dictus ſit, b *Admirabilis, Conſiliarius*; & alibi, *Magni conſilij Angelus.* Vt tamen Diſcipulis, quos ad omnem inſtituebat virtutem, exemplo præiret, de rebus agendis non ſemel viſus eſt conſultare.

Et in primis, conſtat eum priuſquam Euangelij prædicationem aggrederetur, c in deſertum ſeceſſiſſe; multis quidem de cauſis, ſed etiam ob hanc, vt ad conſilium Patris ſui cœleſtis, negotium tanti momenti ſolus ab omni hominum conſuetudine & turba remotus, referret.

Similiter cùm è toto Diſcipulorum numero eligendi eſſent duodecim Apoſtoli, d nè quid ſenſu ſuo videretur ſtatuiſſe, ſolus in monte pernoctauit: vt paterno audito conſilio, futuros Eccleſię vniuerſæ Rectores & Principes deſignaret.

b *Iſaiæ c.9. &* 11. c *Matt.* 4. d *Luc. c. 6. v.* 12.

Quid, quòd reperiamus eum nonnunquam etiam cum Diſcipulis ſuis de rebus agendis contuliſſe? *e* Secuta eum fuerat turba populi ingens ad mare Tyberiadis; deerat in loco deſerto, vnde tanta multitudo paſceretur. Poſtquam varia cum Diſcipulis, hâc de re communicâſſet, tandem ad Philippum conuerſus: *Vnde*, inquit, *ememus panes, vt manducent hi?* Quinque virorum millia, tunc quinque panibus & duobus piſcibus reficit.

Non diu pòſt, *f* cùm quater mille eum ſecuti eſſent, atque illos commeatus deficeret, conuocatis Diſcipulis ſuis dixit: *Miſereor turbæ, quia triduo iam perſeuerant mecum, & non habent quod manducent.* Ex illis nimirum rudibus piſcatoribus, paruaque id temporis, ſapientiâ præditis, Diuinus Magiſter quodammodo exquirit conſilium, tametſi eo non egeret, haberetque rationes populi alendi expeditas: *hoc autem fecit,* ait Hieronymus, *g vt Magiſtris exemplum tribueret, cum minoribus & Diſcipulis communicandi conſilia.*

Hæc fecit, ſed & verbo monuit ſuos, in rebus grauioribus maturâ vtendum eſſe delibe-

e *Matt.* 14. *Io.* 6 *v.* 5. f *Matt.* 15. *v.* 32.
g *In cap.* 15. *Matt.*

deliberatione. *h* Vitæ perfectæ faſtigium propoſuerat; Omnia nempe pro ipſo eſſe relinquenda, Crucem baiulandam: Hoc tamen vitæ genus tam ſibi charum, ſine conſultatione ſuſcipi noluit; ſed duplici ſimilitudine productâ, prudentis deliberationis neceſſitatem ob oculos poſuit. *Quis ex vobis*, inquit, *volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum?* Cum morâ, & quiete Architectum conſiderare oportet, an quod ad ſtructuram requiritur pecuniæ, ligni, lapidiſque & operarum, ſit ad manum; niſi ſeipſum ludibrio, & familiam ſuam damno velit expoſitam.

Similiter prudentis Regis eſt, priuſquam cum hoſte prælio decernat, copiarum ſuarum vires & numerum perpendere, neque infirmum exercitum potentiori objicere; ne ſe, regnumque ſuum prædæ atque hoſtium ſuorum ſurori exponat. Quòd ſi ea in rebus caducis, perituriſque prudentia ab hominibus adhibetur, quanto maior in æternis, quæ animam tangunt, requiritur?

h *Luc.* 14. *v.* 28.

SECTIO SECVNDA.

Modus deliberandi quem vſurpauit & docuit S. Ignatius.

IN Sancto Ignatio Prudentiæ omnes partes in gradu quodam eminenti, Deus nobis ſpectandas exhibuit. Diuerſis Sanctis diuerſa dona conceſſa, iuxta Apoſtoli ſententiam fateri nos oportet. Alijs eximiam humilitatem, corporis auſteritatem præſtantem alijs, ſolitudinem, contemplationem, prodigiorum operationem nonnullis: *quæ omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* *a* In Sancto Ignatio, præter alia dona, ſummam quamdam, raramque Prudentiam eſt obſeruare. Et illam quidem non in rerum internarum ſeu ſpiritualium tantùm; ſed & in externarum, ſiue negotiorum tractatione excellentem. In vtroque verò genere, nihil ipſe vmquam alicuius momenti ſine diuturnâ maturaque deliberatione decernebat; quam in internis quidem plerumque cum ſolo Deo: in externis, cum Deo, & hominibus prudentibus peragebat.

Suppo-

a 1. *Cor.* 12. *v.* 11.

Suppoſito igitur velut primo principio ac fundamento, hominem à belluis ratione ſecerni, volebat vnumquemque, non impetu, aut naturali alicuius inclinationis guſtu, ſed rationum momentis ad rem quampiam ſtatuendam adduci. *b* Et cùm ipſe principio ſuæ conuerſionis ad Deum, de vitæ aſſumendo genere vellet ſtatuere (quæ quidem deliberatio eſt difficillima) propoſito primum fine vltimo diuinâ ſcilicet gloriâ & ſuâ ſalute, cœpit depoſito omni naturali affectu, coram Deo velut ſpectatore exquirere in vtramque partem, quibus ad illum finem vijs certiſſimè peruenire poſſet, rationeſque quæ ad illum prodeſſent, quęque obeſſent, eâ ſinceritate trutinare, ac ſi mors præ oculis iam, aut Deus iudex inſtaret. Hæc cùm diu múltùmque imploratis aſſiduè diuinis auxilijs perpendiſſet, ſtatuit tandem in animarum ſalute ad Dei Patris gloriam procurandâ, ſanctiſſimum Chriſti ſequi exemplum. E quo quidem tam ſapienter deliberato, decreto, alia omnia quæ fecit pertulitque maxima, ſunt conſecuta.

Hanc porrò deliberandi methodum, & alios verbo docuit, & in Libello Exercitiorum deſcriptam, poſteris reliquit.

L 5 Et

b *Orland. lib.* 16. *n.* 109.

Et idem Conſultationis genus adeò ſincerum, *c* quaſi libram omni tempore habens in manu, quicquid in quotidianâ vitâ accideret, eo ſubtiliter expendebat perducebatque iuſtum ad pondus: eo mediocritates rimabatur virtutum, atque hîc reſecans, hîc apponens, vbique formam honeſtatis pulcherrimam exprimebat.

Atque illâ quidem vtebatur deliberandi ratione, ad virtutis, ſanctitatiſque propriæ profectum: Sed ſi de aliorum regimine, negotijſque ad bonum commune pertinentibus ageretur, *d* non ſolùm eo quo dictum eſt modo, cum Deo deliberabat, verùm etiam homines, eoſque prudentiores & rerum, de quibus ageretur, quàm peritiſſimos, ad conſilium vocabat. Quâ communicatione, & lenitate nimirum aſſequebatur, vt & rationes iniret optimas, neque in arte ſuâ ſe quiſquam ab eo vel præteritum, vel contemptum iure queri poſſet.

Neque verò deliberationes, quas Vir Sanctus inſtituebat de negotijs, curſim leuiterque obibat, *e* omnia circumſpiciebat, omnia inueſtigabat, rerumque magis exitum, quàm initium ſpectabat; & quid boni, maliue

c *Orland. ſup. n.* 110. d *Maffæus lib.* 3. *c.* 10. e *Bartolus lib.* 3. *n.* 36.

maliue ex earum vel omiſſione, vel executione oborîri poſſet, ponderabat. Tum etiam quæ adiumenta rei, queque impedimenta, ſi quidem decerneretur, occurſura viderentur, & quibus vijs obſtacula illa vinci aut declinari poſſent. Quæ omnia illa ſummâ perſpiciebat ſagacitate, atque alios quamuis exquiſitæ prudentiæ viros, tantùm videbatur exſuperare, quantò is, qui ex eminenti proſpicit ſpeculâ, plura videt quàm is qui in imo conſiſtit. Itaque homines quoſdam qui ex tempore & velut ſtantes pede in vno vt loquitur Poëta, *f* de rebus decernunt, quos Decretiſtas ſolebat nominare, concoquere aut ferre nulla ratione poterat.

In rebus porro grauioris momenti, nequaquam mox à conſultatione ad executionem progrediebatur: verùm, niſi forte occaſio è manibus elapſura, aut rei neceſſitas aliud ſuaderet, etiam ad plures dies manum ſuſtinebat, dum tempus ipſum, quod omnia maturat, conſilij ſuſcepti patefaceret ſanitatem. Igitur nonnunquam id quod fuerat ſemel ſtatutum, iterum ſub examinis trutinam reuocabat. Atque vt ſola, ſinceraque ratio, ſine vllius commodi proprij amore, aut alterius cuiuſpiam affectus

f *Horatius.*

ctus inordinati comitatu, vim obtineret, id quod decretum fuerat tamquam rem non ſuam ſed alienam, diſcutiendam denuo proponebat.

Cui quidem iteratæ & tam accuratæ deliberationi, adhuc non acquieſcebat Vir Sanctus, ſed humano audito conſilio, recurrebat ad Diuinum, atque à Deo Sapientię æternæ fonte inexhauſto, lucem quâ ſine errandi periculo progrederetur, poſtulabat. Itaque habitâ quâpiam conſultatione dicere ſolitum accepimus: ſupereſt iam, vt illi rei indormiamus, vt nimirum Dei in oratione conſilium exquiramus. Denique, vt clarius quantùm à Deo in ſuis deliberationibus penderet, pateat, libet vltra ea quæ expoſita ſunt, proferre modum quem in Conſtitutionibus ſcribendis, ſeruauit. Earum condendarum hæc fuit ratio.

Primùm. g Omni motu animi, affectuque depoſito, in ſtatuendis omittendiſque rebus, neutram propendebat in partem, ſed ſummâ æquitate animi, totum ſe in Dei manus poteſtatemque tradebat. Deinde ſummo etiam ardore & contentione poſcebat vim, opemque diſpiciendi veri, & ex Apoſtoli præcepto potiora probandi.

g *Orland. lib.* 10. *n.* 52.

bandi. Tum diſputabat ipſe ſecum in vtramque partem, num conſtituendum quippiam, aut non conſtituendum videretur: collectaſque vtrimque rationes, conferebat inter ſeſe, & ſuo quamque pondere momentoque æſtimabat. Denique quod conſtitutum, & deſignatum animo habebat, id ad Deum referebat; ſupplex orans, vt lumen aliquod preferret menti ſuę, vt quod ei placeret maximè, id potiſſimùm ipſe decerneret. Hæc fere Orlandinus. Qui addit, Virum Sanctum, id quod tali modo ſtatuerat, ſemel iterumque in deliberationem adduxiſſe, & antè conſideratas æquè ac alias nouas rationes, denuo ad trutinam reuocâſſe. Ac demum poſt multas preces lachrymaſque, ſcriptam Conſtitutionem Altari, exemplo Leonis Papæ dum ſacrificaret impoſuiſſe, vt Diuina ei eluceſceret voluntas vberius.

Ita Ignatius de Conſtitutionibus ſuis Deum couſulebat. *h* At primam Inſtituti formulam, quam Maiores noſtri Regulam vocârunt, non ſine nouem Sociorum ſuorum conſilio decreuit. Illos verò eamdem quam expoſuimus deliberandi rationem docuit. Nimirùm, vt rem de qua deliberandum erat, ſecum Diuino ſiste-

rent

h *Bartolus lib.* 3. *n.* 45.

ient conſpectui. Tum omnem erga illam exuerent affectum, eamque non vt ſuam, ſed vt alienam intuerentur; vt ſublato omni proprij commodi, qui iudicij vim perſpicaciamque obſcurare ſolet, affectu, ratio rebus omnibus creatis excelſior, id quod optimum foret, eligeret. Vetabat etiam ne quis ſocium ſuſceptæ ſuæ cogitationis redderet participem. Iubebat denique apud Congregatos omnes, in medium proferrent ſinguli, quę animo concepiſſent. Atque ex rationum omnium inter ſe collatione, tandem id quod optimum videbatur, communi omnium ſuffragio decernebatur.

Atque huic tam exactę deliberandi, quâ Sanctus Ignatius vtebatur, rationi, ſiue de rebus ad animam ſiue ad publicum bonum pertinentibus ageretur, mirificè opitulabatur abſolutiſſimum illud, quo in affectus ſuos dominabatur, imperium. Perturbationes enim, commotioneſque animi, perniciosos vtique boni conſilij hoſtes, & præſertim amorem & iram, penitus, vt alibi diximus, edomuerat.

Poſtremò. Quod monitis, & exemplo ſuo S. Ignatius docuit, hoc ipſum legibus quoque ſuis conſtitutum pręſcripſit. Omnibus enim Societatis Præſidibus viros

i pru-

i prudentiâ ac probitate præditos aſſignari iuſſit, quorum conſilio in rebus arduis vterentur; ac Præpoſitum quidem Generalem ſecum viros habere iubet, *k qui conſilio polleant, quorum operâ in ijs quæ ſtatuenda ſunt, ad bonum Societatis progreſſum, ad Dei gloriam; vti poſſit. l* Similiter, *vt Præpoſiti Prouinciales, & Collegiorum Rectores, vel Præpoſiti particulares domorum, ad conſilium aliquos, cum quibus res grauiores, quæ ocurrunt, communicent, (quamuis eis auditis, penes Superiores ſit ſtatuendi facultas) deſignatos habeant.*

Atque is quidem fuit primus Societatis ſpiritus in formulâ Inſtituti, ſiue Regulâ primâ *m* à S. Ignatio, & Socijs eius conditâ, atque à Sede Apoſtolicâ confirmatâ expreſſus, vbi Præpoſito Societatis poteſtas tribuitur, ordinandi & iubendi cum fratrum ſuorum, quatenus opportunum iudicabit, conſilio.

i *P.4. c.10. §.7,* k *P. 8. c. 1.* l *P. 9. c. 6. §. 14.* m *Bulla Iulij 3. Expoſcit debitum.*

Sectio Tertia.

Homini neceſſarium eſſe Conſilium, & à quibus petendum.

QVæ Chriſtus, Virique Sancti, tum monitis, tum exemplis ſuis docuerunt de conſilio capiendo, ea proderit latiùs explicare, & confirmare.

Et quidem à Deo neceſſitatem illam conſilij ab alijs petendi, homini impoſitam, diſcimus ex eo quod ſapientiſſimos quoſque Viros per homines inſtrui voluerit: Moyſen, *a* per Ietro, Dauidem *b* per Nathan, Paulum *c* per Ananiam, & ſexcentos alios. Ad quod etiam Diuina Sapientia ſæpe adhortata eſt. *Fili*, inquit, *d ſine conſilio nil facias, & poſt factum non pœnitebit.* Et alibi: *e Sicut Ciuitas muris diruta, & circumdata, ſic eſt vir, qui non cum conſilio aliquid agit.*

Quam veritatem prophana quoque agnouit Philoſophia, cuius Princeps *f Ad res conſiderandas*, inquit, *alios in conſilium adhibemus, nobis ipſis diffidentes: quaſi minus*

a *Ex.*18. *v.*18. b 2. *Reg.* 7. c *Act.* 9. *v.* 7. d *Eccl.*32. *v.*24. e *Prou.*11. *v.*24. f *Lib.* 6. *Eth.*

minus ad eas diſpiciendas & diiudicandas idoneis. Acutè more ſuo perſpexit, quod Chriſtianis etiam documento ſit, prudentis eſſe ſuo diffidere iudicio; Nimia enim de ſua Prudentiâ, fiducia ac prçſumptio, ſcopulus eſt multis fortunarum humanarum naufragijs infamis. Ad hunc Imperij ſui ratem alliſit, ac perdidit quondam Carolus cognomento pugnax *g* Burgundionum, ac Belgarum Princeps potentiſſimus, qui nunquam alios in conſilium adhibuiſſe fertur, & cùm in vitæ ſuæ cataſtrophe ad Nanceium ſuos conſuluiſſet, ſanum eorum conſilium non admiſit; atque ita perijt cum æterno gentis ſuæ damno, & luctu. Probauit verum eſſe, quod Hiſtorico-Politicus ille dixit, *h in ſummâ fortunâ magis conſilia, quàm manus & tela valere.*

Ratio autem cur, vt Philoſophus pronunciauit, nobis tanquam minus idoneis ad res perſpiciendas diffidere debeamus, eſt, quia ſingulares actiones quæ per Prudentiam dirigendę, numero ſunt infinito, atque adeo non cadunt ſub ſcientiam, neque vno omnes modo ordinandæ, ſed maximè vario; hominis verò admodum

i incerta

g *Pontus Heuterus in Burgundicis.* h *Tacitus.*

i *incertæ ſunt Prouidentiæ.* Quocirca animi nimiùm ſe ſuaque æſtimantis, alioſque deſpicientis eſſe, non admittere aliorum conſilium, ſapienter obſeruauit Gregorius. k *Qui ex eo,* inquit, *quod ſubditos hi qui præſunt, minùs quam ipſi ſunt, ſapientes arbitrantur, plerumque fit, vt Rectores, minùs prudenter ea quæ agenda ſunt videant, quia nempe eorum oculos, ipſa nebula elationis obſcurat.*

Multiplicem porro fructum quem Præpoſiti referunt, ex eo quod conſilium admittant, recenſuit Bonauentura l in hunc modum: *Rectori cautum eſt Conſilia libenter audire, & humiliter quærere; & in hoc triplex vtilitas conſiſtit. Primò, ſi alij idem ſentirent, quod & ipſe, ſecurior eſt, quod non decipiatur. Secundò, quicquid fecerit cum prudentium conſilio, ſi aliquid inde euenerit contrarij, minùs ei poterit imputari, quàm ſi de ſuo tantùm ſenſu id feciſſet. Tertiò, quod ſæpè in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoſcere per ſe vel alium, quod antè non intellexit.* Hæc Sanctus ille Doctor. Dum enim aliorum ratiocinationes Rector audit, fit plerumque, vt pericula, de quibus non venerat

i *Sap.* 9. k *Lib.* 25. *Moral. c.* 14. *in fine.*
l *De 6. Alis c.* 7. *n.* 8.

nerat ei in mentem cogitare, ſe prodant, ad quæ declinanda poterit maturè ſe armare. Stabunt etiam à partibus illius ij quos conſuluerit, ac quemcunque ſiue felicem, ſiue ſiniſtrum res ſortiatur euentum, laudabunt conſilium.

E quibus liquet, quod virtus ea quam Doctor Angelicus, *m* vocat Docilitatem, magnopere Prælato ſit neceſſaria, per quam nimirum inclinatur, vt aliorum iudicium inuitus non audiat, atque ſuum illis facilè ſubmittat. Nam, vt verè Cyprianus; *n nemo bonus eſt Doctor, qui non eſt docilis.*

Cuius virtutis præclarum nobis exemplum reliquit Auguſtinus, *o* qui etiam iunioris Epiſcopi conſilium audire, atque ab illo diſcere eſt dignatus; Ita enim ipſemet ad Auxilium; *Nequaquam iuuenilem ætatem tuam, & Eccleſiaſtici honoris rudimenta contemno. En adſum, ſenex à iuuene Epiſcopo, & Epiſcopus tot annorum, à Collega necdum anniculo, paratus ſum diſcere.* Eodem nimirum ſpiritu regebatur Auguſtinus, quo alij Viri Sancti, quo Apoſtoli, quo Paulus Gentium Doctor, *p* cuius inſignem fecit prudentiam, illa docilitas, quâ

m 2.2. *q*.49. *a*. 3. *ad*. 2. n *Ad Pompeium.*
o *Ep*. 75. p *Act*.15. *v*.18.

quâ Iacobi Hieroſolymorum Epiſcopi conſilium, tam promptè admiſit. Venerat Hieroſolymam Apoſtolus; mox Iacobum cum ſocijs vt fit, honoris causâ accedit; hic ſuadet illi, vt ad declinanda Iudæorum odia, qui eum, vt Legis Moſaicæ euerſorem acerbiſſimè inſectabantur, ritus & purificationes eiuſdem Legis in Templo obiret: ita futurum vt publicè conſtaret, ipſum non eſſe tantum, atque illi ſibi perſuadebant, Moyſis inimicum; Apoſtolus qui tantâ conſtantiâ libertatem & exemptionem à Legis iugo apud omnes propugnârat, conſilium tamen Iacobi mox ſummâ cum modeſtiâ eſt ſecutus. Acceſſit ad Templum cum ſocijs quatuor, expiationes quas Nazaræorum à Moyſe præſcriptæ leges poſtulabant, expleuit.

Neque tunc ſolùm, verùm etiam à primo ſuæ ad Chriſtum conuerſionis exordio, docilitatem illam, ſuo probauit exemplo. Damaſci, *q* cùm Iudæorum innotuiſſent inſidiæ, nocte Diſcipuli per ciuitatis muros ei excedendum eſſe iudicârunt. Illico per ſportam demitti ſe eſt paſſus. Poſtquam deinde Hieroſolymis Diſcipuli cognouerunt, Iudæos mortem ipſi machinari, ſuaſerunt, vt inde diſcederet, atque Cæ-

ſaream

q *Act.9.v.23. & 30.*

ſarçam & Tarſum ſe reciperet; mox eorum paruit conſilio. r Epheſi ſeditione ſæuiſſimâ contra ipſum, & Diſcipulos eius concitatâ, cùm iam comites eius vi abrepti eſſent, ad furentem multitudinem penetrare animo imperterrito decreuerat, ſed diſſuaſerunt Diſcipuli, & eorum illicò ceſſit iudicio.

Atque hęc quidem Docilitatis virtus exigitur, vt aliorum conſilium non rejiciatur. At ſi à te conſilium poſtuletur, aut eo conſtitutum te loco deprehendas, vt à te ipſo velut à gladiatore in arenâ conſtituto, conſilium ſit capiendum; alia quædam animi facultas exigitur, quam Philoſophus Eubuliam vocat, quàm bene conſultiuam dicere poſſimus; Eſtque vis quædam boni conſilij ineundi. Eam à naturæ quidem dotibus plurimùm pendere fatendum eſt, à naturali nimirum ratiocinandi perſpicaciâ, quâ vnum ex alio colligitur; itemque ab ingenij ſolertia, quâ media, rationeſque rei, de quâ agitur, peragendæ promptè inueniuntur, ſed tamen à ſtudio, exercitationeque plurimùm illam, vti & aliàs prudentiæ partes perfici, negari non poteſt.

Deliberatio denique, omnium Sapientium

r *Act.* c 19. *v.*30.

tium iudicio, magnopere à tarditate laudatur, quod Ariſtoteles ſ non ſuâ tantùm, ſed omnis antiquitatis auctoritate firmauit. *Aiunt*, inquit, *velociter quidem ſacienda quæ conſultata fuerint; ſed tardè conſultandum.* Atque ita negotiorum fœlix ſucceſſus duplici eâque diuerſi generis, voluitur rotâ, conſideratione tardâ, & opere celeri. Quod ipſum Romanus perſpexit Hiſtoriographus, qui *conſilia calida, & audacia primâ ſpecie læta, euentu triſtia affirmauit.*

Iam ſicut Eubuliæ amica eſt tarditas, atque illa ſemper adhibenda, niſi aliud ſuadeat vrgens rerum mox peragendarum neceſſitas, vel occaſio quædam moræ impatiens, ita præcipitatio hoſtis eius eſt acerrimus: Thucydidis dictum eſt: *Duo aduerſiſſima rectæ menti, celeritas & ira.* Præcipitationem verò Doctor Angelicus, t per tranſlationem à motu corporeo ſumptam, hoc modo explicat eleganter. Illud præcipitari dicimus, quod à loco ſummo ad imum impetu quodam, medijs gradi-

ſ *Lib.* 6. *Eth. c.* 10. φασὶν πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ βȣλευθέντα, βȣλέυεϑαι δὲ βραδέως. t 2.2.q.53.a.3. *in c.*

gradibus intactis, dejicitur. In actionibus humanis porro ſimile quid contingit, cùm id quod mente concipitur, repentè ſine conſideratione, recordatione, ratiocinatione conficitur: talis quippe actio præcipitari dicitur, quia à mente, quod eſt ſummum in homine, ſubitò ad facultates tranſit executrices, quæ eius pars ſunt infima: neque per gradus prędictos conſiderationis, recordationis, & ratiocinationis ordinatè deſcendit.

Quamuis verò etiam nimia in deliberando tarditas, vitio annumeretur, magis tamen Prudentiæ aduerſatur pręcipitatio, vt Sanctus Thomas *u* animaduertit; hęc enim nullam Eubuliæ partem aſſequitur, quam tamen exercet tarditas, dum deliberat, atque ſpeciem quamdam præ ſe fert Prudentiæ. Præceps enim, vt notat Gregorius, *x nequaquam quid, quomodo, quando, quæque agat inſpicit, ſed plerumque acta, quia ita non debuit agere, cognoſcit.*

Supereſt, vt videamus quinam ad conſilium ſint vocandi. Atque in primis non continuò amicum quemcunque ad Conſultationem admittendum Auguſtinus *y* ſen-

u *A.* 3. *cit. ad.* 5. x *Paſt. p.* 3. *c.* 16. y *Lib. de ſalutaribus documentis.*

ſentit: *Non omnis Amicus Conſiliarius eſſe poterit*, *dicente Scripturâ*: *Amici tibi ſint multi*, *Conſiliarius autem vnus.* Delectus igitur eorum quos conſulere vis, habendus; Et in primis à conſilio dando excludendi, quos conſtat cupiditate alijſque non ordinatis percelli ſolere affectibus. Neque enim, vt docet Gregorius, z *libero iudicio rem examinat mens*, *quam cupiditas ligat*. Et alibi. α *Nullus tibi fidelior eſſe ad Conſilium poteſt quàm qui non tua, ſed te diligit.* Quocirca Plato, vt teſtatur Galenus: β Vino interdicebat ijs qui de re magnâ erant deliberaturi, ne quo forte affectu concitatiore mouerentur.

Duo præterea hominum genera à conſultatione arcenda docet Bonauentura; γ adulatores nimirum & detractores; illi enim te inducent vt meliùs de te quàm expedit ſentias, ideoque conſilia aliorum ſpernas. Hi verò vt peiùs quàm par eſt, iudices de alijs, atque adeò innocentes condemnes, δ *quia aures Principum ſimplices*, *& ex naturâ ſuâ alios æſti-*

z *Lib.* 2. *Ep.* 29. α *Lib.*1 *Ep.*39. β *Lib. Quod animi mores Corp. temper. ſequantur.* γ *De* 6. *Alis c.*7.*v.*8. δ *Eſther c.* 16. *v.* 6.

æſtimantes callidâ fraude decipiuntur. Audiendus ergo Auguſtinus, ε qui ſuadet, *vt eligas tibi Conſiliarios bonos, Deum timentes, veritatem amantes, quia adulatores decipiunt animas audientium ſe.*

Inter bonos verò præferendi iuuenibus ſenes: horum enim plerumque maior eſt prudentia, tum ob ſedatos magis animi affectus, tum propter experientiam è pluribus ortam memorijs, quæ iuxta Ariſtotelem, ζ eſt genitrix nutrixque Prudentiæ. Vnde eiuſdem Philoſophi præclarum hoc exſtat pronunciatum. η *Oportet attendere expertorum ſeniorum & prudentium indemonſtrabilibus enunciationibus & opinionibus, non minus quàm demonſtrationibus; propter experientiam enim vident principia.* Attendendum denique, quem potiſſimum ob finem conſilium exquiras; ſi enim ad inſtructionem, prudentiores; ſi ad auctoritatem, nominatiores; ſi ad pacem, ij ad quos negotium pertinet, ſunt euocandi, vti docet Bonauentura. θ

Verùm Chriſtianus quiuis, & maximè Rector animarum, nequaquam humano ſolo nitetur conſilio, ſed ad Deum recurret,

ε *Suprà.* ζ 2. *Eth. in princip.* η 6. *Eth. c.*11. *circa finem.* θ *Suprà.*

ret, atque lumen & conſilium ab eo poſtulabit; ipſe, vt Auguſtinus ı loquitur: *Salubre dabit conſilium, quia ipſe eſt conſiliarius ſalutis noſtræ, ſicut Propheta ait: Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius.* Hoc ille magnus Populi Iſraelitici Legiſlator & Rector, Moyſes nos docuit, qui cùm tantâ à Deo donatus eſſet ſapientiâ, tamen, vt Gregorius κ obſeruauit, *de rebus dubijs ſemper ad Tabernaculum recurrit, coram teſtamenti Arcâ Dominum conſuluit, exemplum procul dubio Rectoribus præbens, vt cùm foris ambigunt quid diſponant, ad mentem ſemper quaſi ad Tabernaculum redeant, & velut coram Teſtamenti Arcâ Dominum conſulant.*

CAPVT TERTIVM.

De Iudicio, ſiue ſecundo Prudentiæ officio.

IN mediorum electione Prudentiam ex Philoſophi ſententiâ verſari diximus; media

ı *Lib. de ſalutar. Docum. c.13.* κ *Paſt. p. 2. c. 4.*

media autem certo quodam modo, atque ad finem aptato, eligenda ſunt; ita vt & tempore, & loco, & ſine exceſſu, & ſine defectu aſſumantur. Quod Ariſtoteles egregiè docuit, *a* qui appetitum finis dixit in omnibus artibus eſſe abſque termino; eorum verò quæ ſunt ad finem, eſſe aliquem terminum, quod ſimili è medicinâ ducto demonſtrat. Medicus, inquit, ſanitatem ſine modo deſiderat, eamque quantum poteſt procurat; at medicinas certo pondere, numero, & menſurâ præſcribit; quatenus nimirum ad ſanitatem, quæ finis eſt, obtinendam iuuant. Ita Prudentia virtutum omnium moralium actiones, certo modo ac menſurâ adaptat, vt finis, qui quæritur, obtineatur.

Hoc autem fit per iudicium & facultatem quamdam eius adminiſtram, quam idem Philoſophus Syneſin vocat, eamque latinè intelligentiam, ſeu perſpicaciam dicere poſſis, quâ qui præditi ſunt, de rebus agendis rectè iudicant: ſiue ad finem aptè, & iuxta leges, regulaſque communes humanarum actionum. Atque ad hanc facultatem referenda eſt illa, apud aſceticos, & ſpiritualis vitæ Magiſtros celebrata Diſcretio, ſic dicta quòd per eam actiones, ſiue,

a 1. *Polit. c.* 6.

ſiue mentis, ſiue corporis, bonæ à malis, congruæ ab incongruis, aptæ ab ineptis, ab inutilibus vtiles ad finem diſcernantur. Quod quidem nomen Antiquitati in illâ notione, non fuit vſitatum, vt pote cuius nec Ariſtoteles, nec Tullius, nec etiam S. Thomas in ſua Summâ, vbi de Prudentiâ agit, meninerit. Sed in re tamen nil aliud per illud, quam iudicium, vel Syneſin Ariſtotelis videntur ſignificare voluiſſe.

De illo ergo agendum nunc eſt iudicio; ſiue, ſi ita loqui velis, Diſcretione; atque de ea monita & exempla à Chriſto relicta primùm conſideranda.

Sectio Prima.

Quæ in Chriſto prudentis iudicij opera emicuerint.

Complectebatur Chriſtus Dei filius, in ſacrâ ſua Humanitate theſauros Sapientiæ & Prudentiæ ineffabiles, ad inſtar Solis cuiuſdam immenſi, cuius radios per actiones ſuas Theandricas omnes ſinebat emicare. Illam etiam in Puero duodenni Hieroſolymis attoniti mortales obſeruârunt, ita vt teſte Euangeliſtâ *b ſtuperent*

ſuper

b *Luc.* 2. *v.* 41.

ſuper prudentiâ, & reſponſis eius.

Auctæ verò cum ætate, eminentis illius prudentię actiones, tum potiſſimùm prodierunt in publicum, cùm mundi Seruator cœpit Paleſtinam cœleſti erudire doctrinâ, & populos ad viam euocare ſalutis & ſanctitatis. Illis non continuò ea quæ excelſæ ſunt perfectionis, propoſuit, ſed iuxta Prudentiæ leges, quæ faciliora & magis neceſſaria videbantur. Præmiſit nimirum receſſum à peccatis, vitę peruerſæ & diſſolutæ correctionem, verbo vno, Pœnitentiam: *Exinde*, inquit Matthæus, c *cœpit IESVS prædicare & dicere: Pœnitentiam agite.* Hinc igitur Prædicationis ſuæ duxit exordium.

At poſtquam obiuit totam Galilæam, & prædicauit Euangelium Regni, omnemque in populo ſanauit languorem, & nomen eius ob benefacta percrebuit, tum demum in monte prima perfectionis fundamenta Paupertatem, Caſtitatem, Miſericordiam, perſecutionum tolerantiam, propoſuit. Fecit Dominus quod prudenter imitati ſunt perfectionis Magiſtri, per viam purgatiuam ad illuminatiuam, & vnitiuam, vt loquuntur, tranſitum parauit.

Iam ipſam Euangelij prędicationem,

c *Cap.* 4. *v.* 17.

mirâ quadam prudentiâ ad auditorum ſuorum captum accommodauit. Cùm Diuinę Sapientię infinitos poſſideret theſauros, poſſetque recondita, mirabilia, & maximè curioſa proferre, quibus hominum mentes raperet in admirationem; ſimpliciſſimâ tamen vſus eſt dictione, atque parabolis, & ſimilitudinibus à rebus obuijs petitis; ita ſacram ſuam explanauit doctrinam, vt à rudi populo, atque etiam à mulierculis, quæ Illum ſequebantur, ea capi facilè intelligique poſſent.

In Diſcipulorum porrò gubernatione (quod ad Inſtitutum noſtrum maximè pertinet) multa, illuſtriaque Prudentiæ, ſiue Diſcretionis prodidit exempla. Illos tanquam nouitios, & in ſanctitatis palęſtrâ tyrones, paulatim ad ſummam prouocauit virtutem. Atque idcirco noluit eos auſteritate ieiuniorum onerare. *e* Quod cùm Ioannis diſcipuli, in aſperâ Magiſtri ſui ſcholâ educati, & frequentibus aſſueti ieiunijs, obſeruarent, accederetque etiam Phariſæorum eos inſtigantium odium, auſi ſunt hoc Domino crimini vertere, atque cum illo quodam modo expoſtulare; *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, tui autem Diſcipuli non ieiunant?* Quo

e *Matt.* 9. *v.* 14.

Quo dicto tacitè eum perſtringunt, quòd facta verbis non adæquet: altam perfectionis doctrinam proponat, & illa tamen exercitia virtutis adeo præclara ſuos non doceat.

Huic criminationi Dominus reſpondit: tempus illud quo ipſe cum Diſcipulis degebat ita ſe habere, ſicut Nuptię ſe habent reſpectu matrimonij ſecuturi, atque adeò, vti non ſolent tempore Nuptiarum, ea quæ aſpera ſunt, triſtitiamque aut horrorem parere nata, proponi vel exerceri; ſed potius, quæ lætitiam conciliant, & tam ſponſum, quàm alios eius amicos oblectant; ita non conuenire, vt Diſcipuli recenter ipſi velut ſponſo adiuncti, aſperis ieiunijs exercerentur, vt pote noui, atque illis ferendis non aſſueti. Igitur, *nunquid*, inquit, *f poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?*

Et hoc quidem dixit Diſcipulis Ioannis, qui illum eſſe Sponſum prædicauerat, *g* ſe verò ſeruum eius, & quidem indignum, qui calceamenta eius ſolueret. Mirum itaque non eſſe, ſi aliter agerent Diſcipuli ſponſi, quam illi qui ſectabantur ſeruum.

f υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος *filij thalami Nuptialis, ſiue, vt Marcus, filij Nuptiarum.*

g *C.2. v. 19.*

Tempori igitur illi non conuenire ieiunia, ſed alteri; *Venient*, inquit, *dies*, *cùm auferetur ab ijs ſponſus*, *& tunc ieiunabunt*. Nimirum cum ego in cœlum aſſumptus, Spiritum ſanctum miſero, ieiunabunt Diſcipuli mei, ad eiuſdem auſteritates ferendas roborati. Quod ex Hiſtorijs ſacris eueniſſe diſcimus.

Geminâ deinde ſimilitudine prudentiſſimum illud ſuum Iudicium confirmauit: ſicut, inquit, non conuenit, vt tritæ cuipiam, laceræque veſti, particula panni noui ſuperijciatur. *h*. Prçterquam enim quòd id deforme ſit, obeſt etiam veſtimento illi veteri, quod non eſt nouæ parti ferendæ, ſed maius ab eo damnum accipit; Ita Diſcipulis meis, qui veteris legis moribus & ritibus carnalibus aſſueuerunt, nouæ illæ auſteritates necdum conueniunt, ijſque ferendis non ſunt pares.

Præterea vinum nouum ſpiritibus æſtuans, non mittunt homines *in vtres veteres*, *alioquin rumpuntur vtres*; *& vinum effunditur & vtres pereunt*; *ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt*, *& ambo conſeruantur*. Ita imprudenter hoc tempore Diſcipulis meis iniungerem ieiunia, qui tamquam vtres veteres, ijdemque fragiles,

h ἐπίβλημα.

giles, capiendis eiuſmodi non ſunt auſteritatibus; operam ego meam, ſi id facerem, illi ſalutem perderent. Renouandi prius per doctrinam, quam in Scholâ meâ audient, &. potiſſimùm igne Sancti Spiritus recoquendi, vt ſublimibus virtutum exercitijs obeundis fiant idonei.

Suo vero tempore auſteritates aſſumendas, ad Apoſtolicam obtinendam ſanctitatem, Dominus Diſcipulis ſuo demonſtrauit exemplo, quando eum viderunt pauperem degere vitam, cibo vti victuque vili, piſce, pane hordeaceo, & ſimilibus, humi ſæpe vel in aſſeribus decumbere; noctes pæne totas in oratione peruigilare; quem inſuper nouerant quadraginta totos dies ieiunâſſe. Et nihilominus eumdem Dominum ſciebant; ita ſuas ad hominum ſalutem ordinare actiones, vt quando è re ipſorum eſſet, relictâ illa viuendi ſeueritate, primariorum hominum menſis, conuiuijs, Nuptijs non dedignaretur intereſſe. In quo Prudentiam ſiue Diſcretionem quandam exquiſitam manifeſtauit.

Iam quemadmodum auſteritatum onera cum Diſcipulorum imbecillitate. Diuinus Magiſter ſummâ prudentia temperauit; ita doctrinam quoque ſuam cum eorum facultate. Sublimiora quædam fidei my-

ſteria, aliaque de Sacramentorum ritibus, Gentium ad Eccleſiam vocatione, Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordine, non iudicauit rudibus adhuc, & in lege Moſaïcâ natis altiſque, exponenda omnia Diſcipulis; ſed ea Spiritui Sancto voluit reſeruari, qui mentibus eorum altiore luce illuſtratis, animiſque diuini priùs amoris flammâ ſubactis, felicius ſublimem illam doctrinam erat inſerturus. *Adhuc multa*, inquit, *i habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: cùm autem venerit Spritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et ob illam quidem cauſam ita egiſſe Dominum, cùm aliter poſſet, viri ſapientiſſimi obſeruârunt.

Verùm aliò quoque reſpexiſſe Paſtorum Principem nonnulli cenſent. Nam cùm Apoſtolos Orbis vniuerſi deſignaret Rectores & Doctores, eos ſuo exemplo voluit illis Prudentiæ principijs erudire, non eſſe nimirum tironibus, & in fide nouitijs, mox altiſſima quæuis myſteria proponenda. Hoc notauit in primis Nazianzenus: *Vides*, inquit, *k illuminationes paulatim affulgentes, Theologiæque ordinem, quem nobis tenere præſtituit.* Tum Origenes *l non in initijs ſtatim Diſcipulis de*

i *Io. 16. v. 12.* k *Orat. 5. Theol.* l *Homil. 5. in Iud.*

de profundis & ſecretioribus tradendum eſt Sacramentis; ſed morum correctio, & ſimplicis fidei prima elementa traduntur.

Quanti verò faceret Dominus eum ouium ſuarum Paſtorem qui Prudentiam, ſiue Diſcretionem Fidelitati didicerit iungere, Petro aliquando eſt teſtatus, cùm ex eo exquiſiuit. *m Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* In quæ verba S. Bernardus. *n Quærens cui ſe credere debeat, cui tutò ſua committat diſpenſanda myſteria, & quaſi difficile inueniens, ſub admiratione interrogat: quis putas?* Indicauit nimirum eximios & magno in pretio apud ſe eſſe Rectores, eos qui nouerint prudenter tempora, menſuraſque onerum, correctionum, beneficiorum ſeruare. Per menſuram quippe tritici, ait Gregorius, *o exprimitur modus verbi, ne cum anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur.* Quanto autem præmio diſcretum eiuſmodi fidelemque Diſpenſatorem, ſiue Rectorem ſuæ familię Rex ſupremus affecturus ſit, mox ſubiungit, *p verè dico vobis, quoniam ſupra omnia*

m *Luc.* 12. *v.* 41. n *Ep.* 42. *ad Archi-Epiſc. Senonen.* o *Paſt. p.* 3. *c.* 5. p *V.* 42.

omnia bona quæ poſſidet, conſtituet illum. Et quidem de alijs ſeruis vigilantibus pollicetur, q *quod ipſemet præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* At diſpenſatorem prudentem ſuper omnia conſtituet, rerum nimirum creatarum omnium, quin immo & theſauri infiniti Bonitatis, Sapientię, Potentiæ, reliquorumque ſuorum attributorum, poſſeſſionem illi quamdam largietur.

Eamdem Diſcretionem aliàs ſæpius Apoſtolis commendauit, Marcus r narrat eum poſtquam de ſalis præſtantiâ, & neceſſitate locutus fuiſſet, tandem concluſiſſe: *Habete in vobis ſal* hoc eſt Prudentiam; ſiue vt Gloſſa interlinearis loquitur, *Diſcretionem.* Nam quemadmodum cibus quiuis, ſalis condimento deſtitutus, neque palato gratus eſt, nec corporis prodeſt ſanitati; ita nulla virtus, ſine hoc Prudentiæ ſale vllius eſt valoris aut meriti. Charitatis opera externa, beneficentia, zelus, correctio, corporis caſtigatio, omnes denique virtutum moralium actiones, ſi Prudentiæ ſale careant, vitia erunt. Et hoc eſt, quod poſt Philoſophum tradit Doctor Angelicus: ſ *Prudentiam ab omnibus*

q *V.* 37. r *C.* 9. *v. vlt.* ſ 2. 2. *q.* 55. *a.* 2. *in c.*

nibus participari virtutibus, vt earum directiuam.

Sectio Secvnda.

Sancti Ignatij Diſcretio exhibetur.

SAncti Ignatij perſpicaciſſimum fuiſſe iudicium, multa quæ retulimus oſtendunt. Et cùm Prudentiam per omnes ire virtutes dixerimus, quæ de eius zelo, beneficentiâ, vitiorum correctione alijſque attulimus, omnia hoc Diſcretionis ſale condita vidimus, & id ipſum in omnibus alijs eius actionibus deprehendemus. Sunt tamen facta eius quędam in quibus magis ſe oſtentat Prudentię, ſiue Diſcretionis ſplendor; præſertim eius de qua hic agimus, quæ in eo qui præeſt alijs, requiritur.

In primis de Legibus ſeu Conſtitutionibus quibus Societatem ſapientiſſimè temperauit præſtat tacere, quam pauca dicere. Illas enim, qui aliquid de Prudentiâ legiſlatiua intelligunt, cum ſtupore legunt. Sed ſuper omnia experientia ad quam velut lydium lapidem leges probantur, nihil perfectius, ſalubrius, ſanctius ſtatui potuiſſe demonſtrauit. Non eſt inuentus

tus qui eis quicquam, aut addere poſſet, aut demere, ſine Inſtituti detrimento.

Corporis humani fabricam Galenus, *a* contemplatus obſtupuit, viſâ nempe tantâ partium, membrorum, muſculorum, oſſium & minimarum etiam particularum ſymmetriâ & harmoniâ: feruntque illum Philoſopho cuipiam de Numinis Prouidentiâ contendenti, hanc prodigioſam obieciſſe architecturam, atque magnum quid homini illi ſpopondiſſe, ſi ipſe ſuo ingenio, etiam quinquaginta annorum ſtudio, vel vnius minimæ particulę figuram ſitumque, ſine eiuſdem corporis humani incommodo mutare, aut etiam aliter efformare aut ſubtrahere poſſet. De Conſtitutionibus Societatis ſimile quid non immeritò dici poſſit. Sed quia non nemo fortaſſis dicet, eas diuino magis conſilio, quam humanâ conditas prudentiâ, ad alias Sancti Patris actiones tranſeamus.

Exquiſitam Diſcretionem ſuam, iam tum Ignatius prodidit, *b* cùm Pariſijs à Goueano gymnaſij Præſide ad publicum Virgarum ſupplicium fuit damnatus. Conſcius omnium quæ contra ſe parabantur Vir Sanctus, naturæ admodum reluctantis infirmitatem ſuperauit; contumeliam pro

a *Lib. de form. fœtus.* b *Ribad. lib. 2. c. 3.*

pro Chriſto ſubire ſtatuit, in Gymnaſium venit. Ianuis igitur clauſis, virgis expeditis, correctore accincto, diſſidium ingens in animo exoriri ſuo ſenſit: inter deſiderium nimirum patiendi iniuriam pro Chriſto, & zelum ſalutis eorum, quos iam cœperat eximio cum fructu à vitijs abſtractos traducere ad caſtra ſanctitatis. Quid illis, inquiebat fiet? quàm multi ab inſtitutâ viâ deſciſcent? illorum ego iacturam in meo lucro ponam? Quàm turpe hominem Chriſtianum virgis cædi quòd Chriſtum ſequatur? quòd alios ad Chriſtum adducat? Haud ita, Dei amorem, Dei Amor vincat; mea vtilitas, fratrum vtilitati cedat. Goueanum igitur adit; deſiderium quidem ingens patiendi pro Chriſto ſuum, tot in carceribus vinculiſque probatum exponit. Verùm ex aliâ parte quantum Dei cauſa ſit paſſura detrimentum demonſtrat, atque hominem ita virtutis & veritatis vi commouet, vt coram omnibus ſupplex & in genua prouolutus, veniam ſit precatus.

Similiter alijs pòſt temporibus obſeruatum eſt, eum Romæ & Venetijs accuſationes graues contra ipſum & ſocios concitatas, omni ſtudio refutâſſe, vt de ſuâ ſuorumque innocentia omnibus conſtaret: nimirum

nimirum Diuinę gloriæ pluris tunc intereſſe communem Sociorum famam conſeruari, quam iniuriarum & contumeliarum tolerantiâ, propriam augere virtutem, meritumque, prudenter perſpexit. Nam quando de ſuo tantum honore, & exiſtimatione apud mortales agi videbat Compluti, Salmanticæ & alibi, ſine vllâ, vt diximus, defenſione aut expurgatione, calumnias, vincula, carceres tolerabat.

Quantâ verò Prudentiâ hominum animos ſibi Ignatius conciliaret, multa eius facta demonſtrant. Et potiſſimùm Sancti Franciſci Xauerij ad Deum conuerſio. c Omnia illum aliò quàm ad Chriſtum ſequendum inuitabant, generis ſplendor, opes, ingenium, eruditio; atque ſuper omnia ingens animus, qui nil niſi Gubernacula Mytraſue meditabatur. Talem igitur mentem, magnis agendis rebus idoneam ratus Ignatius, ſibi adiungere ſummopere optauit. Verùm tam procul ab eius aberat Xauerius amicitiâ, vt illum etiam tanquam mendicabulum quoddam vile aſpernaretur, atque procaciter irrideret. At Ignatius longanimitate vſus, poſtquam ſuâ illâ qua plurimùm ſemper valuit, ſagacitate, animi illius fundum perſpexit,

c *Orland. lib.* 1. *n.* 84.

ſpexit, eumque gloriæ & honoris in paucis cupidum cognouit, hâc nimirum ex parte illius oppugnationem tentandam prudenter iudicauit. Primùm igitur, multùm ei ipſe pro merito, ac dignitate deferebat honoris, & vt ei à cæteris deferretur, cùm ſe facultas dabat, non omittebat curare. Deinde quia Ariſtotelis philoſophiam Xauerius explicabat, & vt erat animi generoſi, frequentis auditoris deſiderio magnopere tenebatur, diſcipulos quàm poterat plurimos ipſi Ignatius conquirebat, & conquiſitos domum eius deducebat. Hac tandem viâ ſibi ad eius amicitiam aditum patefecit: atque inde ſenſim vlteriùs progreſſus, pronunciata quædam de rerum creatarum inanitate & fluxu; æternorum verò bonorum poſſeſſione immutabili, menti eius inſtillare cœpit; ac denique illud Chriſti. *d Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* Ei animo verſandum propoſuit. Ita tandem applaudendo, honorando, benefaciendo, & ſenſim leniter inſtruendo, eum expugnauit, ſuauique Chriſti iugo ſubiecit. Fecit quod S. Gregorius docuit: *e plerumque*, inquit, *elatos vtiliùs corrigimus, ſi eorum*

d *Matt.* 16. *v.* 26. e *Paſt. p.* 3. *Admo.* 18.

rum correctionibus quædam laudum fomenta miſceamus, nam & equos indomitos blandâ prius manu tangimus, vt eos nobis plenius poſtmodum etiam per flagella ſubigamus.

Similem in omni cum proximo conſuetudine prudentiam, Vir Sanctus & adhibebat, & à ſuis iubebat obſeruari: ipſe omnibus omnia fiebat; vt omnes lucrifaceret. Atque vt poſſet, ſolebat, vt iam diximus, obſeruare eius, quicum agendum erat, ingenium; hilarine an triſti, lentâ, præcipiti, an moderatâ eſſet naturæ conſtitutione, quod genus vitæ ſectatus fuiſſet, aut etiam nunc ſectaretur. Atque ita, eo, qui magis indoli ipſius conueniret, vtebatur colloquendi modo. Neque verò primo ſtatim aditu ſermonem de rebus Diuinis ingerebat, ſed ita cum hominibus agebat, vt ipſi vltro ad ſermonem pium delaberentur; vel certè primum cum mercatore de mercibus; de bello cum milite, de re politicâ cum Magiſtratibus loquebatur. Inde illos ad commercia, & lucra æterna, ad bellum vitijs inferendum, ad affectus ſuos regendos traducebat. Et hoc eſt, quod dicere ſolitum accepimus, nos in ſermonem cum hominibus ingredi, ſed ipſos nobiſcum egredi oportere. Nimirum

in principio aliqua diſſimulanda, in multis conniuendum, donec partâ eorum beneuolentiâ, ſuis ipſi armis expugnentur.

Illud quoque erat in eius conſuetudine, prudentiæ, & iudicij permagni, *f* quod cum ijs quos conſtabat eſſe ob cauſam aliquam publicam priuatamue, ſibi inuicem aduerſos, ita nouerat agere, vt neutri ſtudere parti videretur. Hoc adeo eo tempore cognitum eſt, quo bellum acre inter Carolum Cæſarem Regemque Gallorum feruebat: Ita tunc Romæ Ignatius cum Hiſpanis Galliſque, Legatis, Principibus, Magnatibus, Prælatis verſabatur, vt apud omnes charus æque, & magno eſſet in pretio; nempè, vt Ioannes Polancus notauit, rem ſuam agebat Ignatius, animas, & Dei gloriam quærebat, & nihil præterea.

Atque huc referri poteſt præclarum illud ſtrategema, quo Pariſijs hominem deſperabundum expugnauit. *g* Obſeruauit quendam vultu luridum & triſtem, ſaxo prægrandi onuſtum per plateam tranſeuntem; ſuſpicatus quod res erat; aut id diuinitus edoctus, ſocium iuſſit eum ſequi, atque facere ſimulatè quidquid videret illum ſeriò facientem; ſe vtrumque aſſecuturum.

f *Bartol.lib.4.n.20.* g *Ribad. lib.5.c.10.*

turum. Ventum eſt ad locum ab arbitris remotum: deſperabundum rogat ſocius, quid meditetur? Ille ſuſpendium, inquit, vt finem tandem malis quæ patior, inueniam: Et ego inquit alter in eâdem verſor deliberatione; dum hæc illi inter ſe, adeſt Ignatius, & ad ſocium velut ignotum conuerſus, quid tu, inquit, hoc loci temporiſque agitas? hic cùm nihil rebus deſperatiſſimis ſibi ſupereſſe diceret, pręter laqueum; Vir Sanctus blandè primùm hominem ſolari, Diuinæ clementiæ & benignitatis ſpe propoſitâ; deinde ei exponere quanto laboraret & quàm cæco errore, qui tali morte, non finem malorum, ſed initium æternorum grauiſſimorumq́ue tormentorum ſibi conſciſceret. Quæ cùm multis amplificâſſet, cœpit ſocius deditionem facere, & conſilij ſuſcepti pœnitere, & mox ad deſperabundum; quid tibi videtur, inquit, ego conſilium huius boni viri (Ignatium notabat) ſequi decerno, & periculo tantorum malorum me eripere. Quo exemplo miſer animatus, & ab Ignatio blandiſſimis delinitus verbis, deteſtabilem illam ſui occidendi voluntatem depoſuit, vitamq́ue ac ſalutem ſuauiſſimæ Ignatij prudentiæ retulit acceptam. Quo memorabili facto poſteros

Vir

Vir Sanctus docuit, mentes eiuſmodi atrâ bile, aut mali genij artibus turbatas, lenibus potiùs verborum fomentis componendas, quàm vehementibus exaſperandas inuectiuis: iuxta ſapiens Gregorij conſilium. *h Dura vulnera per lenia fomenta molleſcunt, furor inſanorum ſæpè ad ſalutem medico blandiente reducitur.*

Iam vt de eâ, quam in ſubiectorum regimine ſeruabat, Prudentiâ, aliquid dicamus. Chriſti exemplo non mittebat vinum nouum in vtres veteres; ſed ſummo iudicio perſpiciebat quid cuique conueniret, & quantum oneris ferre quiſque poſſet. Si expeditio quæpiam longinqua, laborioſa, periculoſa, aduerſitatibus expoſita ſuſcipienda foret, Viros animi magni conſummatæque virtutis ad illam deſtinabat. At verò eos, quos nouerat inferiores, cuiuſmodi ferè ſunt tyrones, talibus impendebat functionibus, quæ infra eorum eſſent virtutem. Quocirca miſſum ex Indijs à Xauerio Bernardum Iaponem, non modò in Societate ſed & in Fide nouitium, noluit operoſo addicere, quod ille pro ſuo feruore poſtulabat, officio; niſi prius ipſi Bernardus polliceretur, ſe, ſi graue illud, aut moleſtum experiretur, hoc quàm primùm

h *Paſt. p* 3. *c.* 3.

mùm ipſi declaraturum.

Eamdem Prudentiam docuit aliquando Sanctus Pater Bernardum Oliuerium Belgam, Domus Romanę Miniſtrum, *i* Is tyrones eius mandato iuſſerat omnes ad fabricam muri cuiuſdam erigendam, ſpectante Romano populo manu operari. Pernobili Adoleſcenti cuidam, recens è mundi caſtris ad Religioſam tranſgreſſo militiam, ea res verecundiam incutiebat non mediocrem, quòd ſe, cùm Romæ eſſet notiſſimus, ſuorum ſignari oculis potiſſimùm arbitraretur; nimirum tanquam paruulus in virtutis palæſtrâ, ſolidum illum non poterat concoquere cibum. Coniectauit mox Ignatius, operarios ſuos viſens, ex ipſo Iuuenis vultu, mentis eius perturbationem. Et ad Miniſtrum: Non vides, inquit, Nouitium illum tentatione concuſſum? At ille; ſed mandatum ſecutus tuum, omnes cenſui mittendos: cui iterum Vir Sanctus; & quando hoc mandaui, ecquid charitate & diſcretione tibi interdixi? Paulò poſt velut caſu tyroni obuiam venit, & admirabundus: tu quoque, inquit, hic operaris? abi quæſo hinc, neque redeas, manus tuæ ad id genus operis non ſunt factæ. Ita animum varijs agita-

i *Bartolus lib.* 3. *n.* 44.

agitatum cogitationibus, compoſuit, & vti pòſt cognitum eſt, periculo exemit.

Alius ad domeſtica obeunda officia admiſſus tyro, *k* ex opulentâ, vnde exceſſerat, familiâ, ſecum imaginem detulerat Chriſti Crucifixi, non minus materiæ quàm artis raritate præſtantem, ideoque ipſi apprimé charam; Accedebat etiam ſpecioſus magni erga illum amoris prætextus, pietas. Ignatius vti animum Nouitij vinculis reculæ illius expedire peroptabat, ita tamen illi tanquam paruulo & adhuc carnali, aſperam illam exſpoliationem noluit imperare, ne fortè vt Gregorius *l* loquitur *dum plusquam valebat, tenderetur mentis eius corda, rumperetur.* At poſtquam animaduertit eum in perfectionis ſtudio non pœnitendos feciſſe progreſſus, atque etiam veteranos aliquos aſſecutum: nunc enim verò, inquit, tempus eſt vt Crucifixus è manibus eius tollatur, poſtquam illum inſculptum gerit cordi: quod & ſine vlla factum repugnantiâ.

Multa id genus adferri poſſent, ſi propoſita id pateretur breuitas; ea Hiſtoriam, & Annales Societatis euoluenti paſſim occurrent. Supereſt, vt pauca quædam eius Monita & veluti Aphoriſmos Prudentiæ

k *Idem n.* 38. l *Paſt.* 3. *c.* 5.

dentiæ gubernatricis, quos pronunciare ſolebat, referamus.

In primis quod ad tyrones attinet, dicere ſolitum accepimus. *m* Illos, & præſertim iuniores, tametſi in virtutis ſtudio ardentes & generoſos, non eſſe functionibus & occaſionibus periculoſis exponendos. Quod eorum ætas tenerior, facilè quaſuis ſiue bonas, ſiue malas ſuſcipiat impreſſiones; & deſideria, virtuteſque illorum, adinſtar verni germinis tenerrimæ, minimo aſperioris auræ afflatu tabeſcant. Itaque etiam illos, qui animo fortiſſimo parentum propinquorumque vicerant oppugnationes, procul tamen à Patriâ amicorumque conſuetudine ablegabat.

Præterea tyrones in exordio vitæ religioſæ ſuauiſſimis regebat verbis. Tentatos, vt diximus, magnâ ſolabatur, beneuolentiæ ſignificatione, & nihilominus ſerijs eorum virtutem explorabat probationibus & experimentis. Ita tamen, vt ab ijs eos remoueret occaſionibus, quæ imbecillæ eorum virtuti periculum creare poſſent.

Dicebat mutatione loci, mores non mutari, eum ſiquidem qui ſeipſum ſecum defert, in quauis regione ſimilem ſibi futurum. Quocirca vitioſos, & inquietos, ob ſpem

m *Bart. lib. 4. n. 36.*

ſpem majoris virtutis, & quietis loco non cenſebat mouendos: quòd vigor diſciplinæ vbique ſeruandus, vbique illos æquè eſſet turbaturus.

Hominis religioſi operâ ad Dei obſequium vti cum regularis detrimento diſciplinæ; hoc aiebat eſſe idem ac ſi arborem quis abſcindat, vt fructum ex ea aliquem colligat. Itaque Ferrariæ Duci, ſummo Societatis Patrono, poſtulanti Sacerdotem è Noſtris qui Principem eius filium erudiret, atque non in Collegio ſed in Aulâ eius degeret, recuſauit. Similiter vetuit Noſtros obſequijs etiam Epiſcoporum operam impendere, ſi quod idcirco diſciplina domeſtica detrimentum paſſura videretur.

In adiuuando proximo multo plus valere humilitatem dictitabat, quam auctoritatem, & longè plus promoueri cedendo, quàm contendendo. Poſtquam Romę Scholis publicè apertis Iuuentutem cœpimus magno auditorum concurſu erudire; Didaſcali externi, minui ſuorum numerum indignati, Patres acerbis fœdiſque contumelijs lacerârunt; ſed hi illas ſilentio diſſimulârunt. Et quia ſimilia alibi quoque euenerant, & deinceps poterant timeri, Ignatius literis encyclicis omnibus

denunciauit, vt illis hominum malè feriatorum dicterijs, haud alio modo, quàm humilitate ſilentioque reſponderetur, & ſi ipſos ignorantiæ, vti iam alicubi fecerant, inſimularent, nequaquam cum illis de doctrinâ inirent diſceptationem, ſed hoc vnum reſponderent; probè ſe ſcire quod pauca ſcirent, ſed hæc ipſa pauca ſe libenter pro Dei obſequio, eos qui iſta ignorabant, docturos.

Res magnas vniuerſim dicebat initium ab humilitate ducere, atque è fundamento depreſſo illas in altitudinem aſſurgere ſolere eximiam. Idcirco Laynium & Salmeronem priuſquam in Concilio Tridentino comparerent, iuſſit pueros docere Catechiſmum, & infirmis in Noſocomio miniſtrare.

Pluris longè aiebat ſe facere vel vnum gradum fructus quem à proximo impetrare poſſet, certum ac ſecurum, quam centum inſtabiles incertoſque; & hoc præſertim, ſi pro ijs contendendum foret. Maius enim damnum ab aliorum offenſione imminere, quam à quocunque etiam magno profectu.

Denique non rarò dicebat euenire, vt ij, qui hominum iudicio minus ſunt prudentes, ſed tamen virtute eminent, res graues

ues felicius ad exitum perducant, quàm alij minus ſancti & magis prudentes. Quia illi Diuino nituntur conſilio auxilioque. Et Deus peculiari fauore eorum proſequitur labores, atque manus menteſque dirigit. Ad alios tamen regendos, ſolam plerumque ſanctitatem non ſufficere, ſed ad hoc magnâ opus eſſe prudentiâ & iudicio; ne alioquin is qui præeſt, aliorum cogatur implorare ad gubernandum auxilium & directionem. Atque hæc pauca de plurimis à Sancto Ignatio prudenter dictis, factiſque.

SECTIO TERTIA.

Prudentis iudicij ratio explicatur, & in quibus potiſſimum locum habeat.

PRudentiſſimum illud quod in Chriſti ac hominum Sanctorum dictis, factiſque elucet iudicium, quia circa agibilia, vt in Scholis loquuntur, ſiue res humanas agendas occupatur, atque ideo practicum dicitur, diuerſum plane eſt ab eo quod in perſcrutandis, contemplandiſque rerum altiſſimarum veritatibus verſatur. Hoc enim in veritatis cognitione ſiſtit, illud ad vitæ humanæ vtilitatem refertur.

Euenire igitur, vt nonnulli res ſublimiſſimas intellectu penetrent ac comprehendant, ijdem tamen de rebus agendis parum aptè iudicent, idem Philoſophorum Princeps obſeruauit. a *Aliqui*, inquit, *indocti quibuſdam doctis magis ſunt practici, & inter alios ij qui experientiam habent. Quocirca Anaxagoram, Thaletem, cœteroſque tales viros, ſapientes quidem eſſe dicunt, prudentes verò nequaquam, cùm videant eos quæ ſibi vtilia ſunt, ignorare: atque eos fatentur recondita, atque eximia quædam, & admirabilia & difficilia & diuina tenere, ſed quæ vſui non ſunt.* b Et alibi. c *Periclen verò, cæteroſque tales viros prudentes eſſe arbitramur, quod ea quæ ſibi, hominumque generi bona ſunt, diſpicere ac prouidere poſſunt.* Quas quidem iudicandi facultates, quamuis longè diuerſas, in viris magnis & eminentibus, ſimul ſæpe reperiri non nego, ita vt ijdem, & in rebus ſublimiſſimis contemplandis, & in humanis dirigendis actionibus iudicent præclarè.

Et

a 6.*Ethic.* c.7. ἔνιοι ȣκ εἰδότες ἐνίων εἰδότων πρακτικώτεροι, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις οἱ ἔμπειροι. b ἄχρηςα. c 6. *Ethic.* c.5.

Et hoc quoque S. Ignatium ſapienter perſpexiſſe animaduerto, & accuratè illam intelligendi & iudicandi facultatem vtramque in ſuo quem format Præpoſito, diſtinxiſſe. *d* In hoc enim, tertio requirit loco: *vt præclaro intellectus & iudicij dono polleat, vt nec in rebus ad ſpeculationem, nec ad praxim pertinentibus, quæ occurrerint, hoc talento ſit deſtitutus; Et quamuis doctrina valde ei neceſſaria ſit, qui tam multis viris eruditis eſt præfuturus, magis tamen eſt neceſſaria prudentia, & in rebus ſpiritualibus & internis exercitatio, ad varios ſpiritus diſcernendos, ad conſilium ac remedium tam multis qui neceſſitatibus ſpiritualibus laborabunt, adhibendum.*

Diſcretionis etiam donum in rebus externis ac modo res tam varias tractandi, & cum tam diuerſis hominum generibus, in ipſa Societate & extra illam agendi, ſummopere erit ei neceſſarium. Hæc Sanctus Pater. Vbi ad Regimen Prudentiam magis quàm ſcientiam aſſerit neceſſariam. Et hanc duplicem; vnam quæ interiores mentis diſcernat motus ac virtutes: quæ res & negotia externa dijudicet, alteram.

Iam ad facultatem illam prudenter de externis æquè ac internis iudicandi, quæ in

d *P.9. c.2. §. 6.*

in vitâ humana tanti eſt momenti, perficiendam, nihil æquè confert atque experientia, ſiue rerum illarum gerendarum exercitatio. Quod Ariſtoteles etiam vidit. Neque verò Pericles ſummam illam, qua valuit prudentiam, ſolâ ingenij ſui perſpicaciâ, & rerum vniuerſalium ſtudio ſibi peperit, ſed Rempublicam gubernando. Quod idem Philoſophus exemplo è Medecinę adytis deprompto, ita explicabat. d *Si quis ſciat*, inquit, *carnes leues eſſe ad concoquendum faciles & ſalubres; leues autem quæ ſint, ignoret, ſanitatem non efficiet. Plus autem præſtabit, qui ſcit auium carnes eſſe leues.* Nimirum ex eius ſententiâ, vſus & rerum particularium notitia, plus ad Prudentiam confert, & ad vitæ humanæ vtilitatem, quàm vniuerſalium contemplatio.

Et in arte Animas regendi plus efficiet, qui nouerit quibus induſtrijs, virtutes acquirendæ & vitia ſuperanda ſint, quàm qui de eorum naturâ & proprietatibus ſublimes aſſecutus ſit veritates. Et idem de rerum externarum & rei familiaris adminiſtratione eſt dicendum.

Ad idem deinde iuuat plurimùm, leges regulaſque quibus quiſque adſtringitur, probè

d *Cap. 7. cit.*

probè nôſſe; euoluere Annales & Hiſtorias ſuæ Reipublicæ, pronunciata & axiomata virorum Sapientum ruminare, cuiuſmodi plurima occurrunt in literis Sacris, præſertim in Salomonis & Eccleſiaſtici libris, quibus legendis quiſquis aſſueuerit, ſenſim de rebus optimè iudicandi vim ſibi comparabit vel adaugebit.

Tertiò, vt quis rectè iudicet, opus eſt vt recta quoque velit. Praua enim voluntas, affectuſque immoderati, iudicium magnopere agunt tranſuerſum. Nam vt Ariſtoteles e *quiſque iudicat, pro vt eſt affectus*. Plurimùm igitur iuuant virtutes morales, quæ affectus ſub rectę rationis freno cohibent.

Quamuis enim improbi de recto bonoque vniuerſim, & in genere ſubinde benè iudicent, non tamen de particularibus agendis, à quibus rectè diſcernendis illos perturbatio abducit iuxta illud Poëtæ. d

Sed trahit inuitam noua vis, aliudque cupido,
Mens aliud ſuadet. Video meliora proboq́;,
Deteriora ſequor.

Porro ſicut ſupra diximus, Eubuliæ inimicam eſſe Præcipitationem; ita Syneſi, ſiue

e *6. Ethic. c.*5.*&* 13. d *Medea apud Ouid. lib.* 7. *Metamorph.*

ſiue iudicio prudenti & Diſcretioni, aduerſatur Inconſideratio; dum nimirum ad res decernendas ita quiſpiam fertur, vt ea quæ rem circumſtant & conſequuntur, non conſideret aut perpendat. *e In agibilibus humanis,* inquit Doctor Angelicus, *multa ſunt attendenda ad rectè iudicandum, quia operationes ſunt in ſingularibus.*

Quæ quidem Inconſideratio generatim, & vniuerſim Prudentiæ repugnat, ſed tyroni fortaſſis proderit, particulares aliquas produci materias, in quibus procliue eſt contra Diſcretionis & Prudentiæ leges peccare; nam, & illas vitæ ſpiritualis Magiſtri ſubinde notant, & veluti ſigno quodam dato monent, vt per eas, tanquam per vias ſaxis ſalebriſque impeditas, ſuſpenſo incedatur gradu.

Et in primis S. Ignatius, præter ea quę retulimus monita & exempla, etiam præcepta aliqua, legeſque hac de re poſteris ſuis reliquit. Menſuram igitur quamdam, diſcretionemque adhiberi iubet. Primò *f* in mentis exercitationibus, ſiue in Orandi ſtudendique contentione. Secundò *g* in vſu Paupertatis menſuram ſanctę Diſcretionis vult ſeruari; atque ita eius ſentiri

e 2.2. *q.*53. *a.*4. f *P.* 3. *c.* 2. *§*. 4. g *Ibid.* *c.*1. *§*. 25. *& lit. V.*

tiri effectus, vt fini propoſito non repugnent. Tertiò *h* labores quoſuis, & corporis afflictationes, vigilias nempe, inediam, chameuniam, verberationem, & ſimiles pœnas externas, certâ quadam diſcretionis menſurâ iubet aſſumi, ne ſi nimiæ ſint, maioribus impedimento ſint bonis: vel ſi minor quàm oportet earum ſit vſus, ſpiritus langueſcat.

Sanctus Bonauentura *i* ſimiliter plura ſignat capita quæ Prudentiæ normâ ſunt dirigenda. Primò, legum Regularumque obſeruationem, eodem rigore non eſſe vrgendam docet ſæpius. Et ea quidem quæ à Deo omnibus ſunt præcepta Chriſtianis, quæque votis promiſſa ſunt, ante omnia cenſet ſeruanda; & ad hoc etiam pœnis, ſi opus ſit, inferiores eſſe adigendos. Secundò, quæ ad religioſam pertinent perfectionem, illa magis adhortatione, monitis, & exemplis eſſe exigenda. Tertiò, eas quæ de externâ ſunt diſciplina, Regulas ſeruandas quidem eſſe, quia ad decorem æquè ac pietatem ſunt vtiles: quia tamen ita ſe habent, ſicut Artis inſtrumenta, ſine quibus ars à peritis exerceri poteſt, cùm fuerint prius artes, quàm certa quædam inſtru-

h *Ibid. c.* 2. §. 5. i *De* 6. *Alis. c.* 7. *n.* 2. *& ſeqq.*

inſtrumenta: in talibus prudentem Prçlatum docet diſpenſare poſſe; ſed hoc tunc ſolùm, quando id neceſſitas vel vtilitas exigit, ad quod non mediocre requiri iudicium fatetur: ſed hac de re, etiam infrà cùm de diſpenſatione agetur, aliquid tangemus.

Prçterea delictorum punitionem, magno prudentiç iudicio decernendam docet. Nam ſunt rei nonnulli, qui delictum fatentur, de eo dolent, veniamque ſupplices precantur; talibus clementiæ exhibendam benignitatem, atque id remedium applicandum, quo Deo hominibuſque offenſis ſatisfiat. Secundò, alij crimen factumque negant, neque conuinci poſſunt: tales patienter tolerandos, Deum pro illis orandum, occaſiones peccandi eis tollendas, communibus exhortationum ſtimulis ad meliora excitandos. Tertiò, ſunt nonnulli quorum graue ita notum eſt crimen, vt negari non poſſit, qui ſpem emendationis prçbent nullam, & alijs exemplo nocent. Tales vt membra putrida cenſet prçſcindendos, ne quæ ſana ſunt, corrumpantur. Et tandem; *cuius vita*, inquit, *in habitu religioſo magis ſcandalizat ſimplices quàm ædificet, expedit, vt foras miſſus, ſolus damnetur, potius quàm vt per eum*

ſacra

ſacra Religio contaminetur.

Denique in negotijs gerendis, ſi à Superiore quæuis ſine diſcrimine ſuſcipiantur, peccari contra Prudentię leges declarat. Illa igitur quæ ad profectum ſpiritus, virtutem, ſanctitatemque ſubditorum promouendam pertinent, ad quæ primo præcipuèque Paſtorale ordinatur officium, ab ipſo Superiore vult curari, vti etiam ſuprà diximus. At verò rei familiaris curam, alijs committi: ſuperflua verò quæ ad commiſſi gregis ſalutem vel vtilitatem non proſunt, vult penitus excludi: *quia*, inquit, *ex vſu exteriorum tenebreſcit oculus mentis, ad contemplationem ſpiritualium & internorum, & qui ſarcinam ſatis grauem portat, imprudens eſt, ſi adhuc onera plura ſibi portanda imponat, quibus opportunè poteſt carere.* Atque hæc eorum quæ pluribus à Seraphico illo Doctore traduntur, eſt Summa.

Eſt & aliud quod Patres, & vitæ ſpiritualis Magiſtri ſæpè monent, vt animarum Rector accurato Prudentiæ oculo perſpiciat, ne vitia, virtutum pallio velata amplectatur. Id vtique niſi ſedulò attendatur, pronum eſſe euenire. Quia virtutibus quę in medio ſunt poſitę, vicina admodum ſunt vitia, ſi nimirum à medio illo,

illo, ſiue per exceſſum, ſiue per defectum recedatur. Vidit hoc Gregorius: *k Plerumque,* inquit, *vitia virtutes ſe eſſe mentiuntur, vnde neceſſe eſt, vt Rector animarum vigilanti cura diſcernat; ne aut Cor tenacia occupet, & parcum ſe videri in diſpenſationibus exultet: aut cum effusè quid impenditur, largum ſè quaſi miſerando glorietur: aut remittendo, quod ferire debuit, ad æterna ſupplicia ſubditos pertrahat, aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipſe grauius delinquat.*

Coronidem huic capiti imponam, ſi prius nonnulla excelſæ huius virtutis lumina, in Apoſtolo Paulo obſeruata perſtrinxero. A Nazianzeno Apoſtolos ambidextros vocatos fuiſſe comperio, quòd ſummâ quadam diſcretione nôſſent diuerſis rebus, perſonis, locis, temporibus, diuerſum adferre animum modumque agendi. Talem repreſentat nobis Apoſtolum Chryſoſtomus. *l Nunc*, inquit, *cuſtodit legem, nunc deſpicit; nunc ſeruat præſentem vitam, nunc contemnit; nunc poſtulat pecunias, nunc refutat; nunc circumcidit, nunc Circumciſionem excludit; pro vt nimirum ad Euangelij plantationem prodeſſe iudicabat*. Eâdem de causâ facta nonnul-

la

k *Paſt. p.* 2. *c.* 9. l *Hom.* 5. *de lauad. Pauli.*

la & dona ſua illuſtria publicauit, nonnulla celauit; Nec vt ait idem Chryſoſtomus; *Omnia dixit, ne gloriâſe maiore circumdaret; nec omnino cuncta tacuit, ne Pſeudo-apoſtolorum contra ſe ora reſeraret.*

Magnam ipſi Iudæorum æmulatio creabat ſollicitudinem. Nam cùm Gentium conuerſioni tanquam earum Doctor totum ſe impenderet, earumque à lege Moſaica libertatem, magnis tueretur animis, in odium Iudæorum maximum incurrit: ſummâ igitur diſcretione ipſi, hinc veritas & libertas Euangelij erat propugnanda, inde legis reuerentia conſeruanda, atque ita laborandum, vt dum Gentiles ad Eccleſiam vocaret, Iudęos ab illâ non abſterreret, inuidiamque populi illius ferocis declinaret. Quod vt aſſequeretur, exponit ipſe quid egerit. m *Omnium*, inquit, *me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem; ijs qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, vt lucrifacerem eos qui ſine lege erant. Denique omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.*

Vt vtriſque ſatisfaceret, cum Hieroſolymam proficiſceretur, ſecum duxit Barna-

bam

m 1.*Cor. c.*9. *v.* 19.

bam Iudęum & Titum Gentilem, vt notauit Ambroſius. *n*

Eumdem Titum noluit circumcidi, ne Gentiles exiſtimarent ſe ritibus legis obſtrictos. At Timotheum Iudæâ matre natum circumcidit, ne Iudæorum rabiem, vt ait Gregorius, *o* in ſe comiteſque ſuos concitaret: *aſſertionis*, inquit *ſuæ* (de libertate nimirum Euangelij) *vim poſtpoſuit, & ſine damno Fidei, ſe ſuoſque comites à perſecutionis immanitate cuſtodiuit. Plerumque enim virtus cùm non diſcretè tenetur, amittitur; cùmque diſcretè intermittitur, plus tenetur.* Eamdem quoque Prudentiam magnus ille regendi artifex, vt eum vocat idem Gregorius, in diſcipulorum ſuorum ſpiritu, & inſtillando, & promouendo adhibuit. Omnes quidem ad ſummam conabatur euehere virtutem; verùm alia in viâ Dei prouectis, alia tironibus proponebat. Corinthijs itaque ſuis. *p Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſæculi.* Et paulò pòſt. *Et ego fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis.*

Simi-

n *In c. 2. ad Gal.* o *Lib. 28. Moral. c. 7.*
p *1. Corint. c. 2. v. 6. & c. 3. v. 1.*

Similis Prudentiæ inſigne occurrit ſpecimen in Actis Apoſtolorum. *q* Vinctus Paulus apud Agrippam Regem, cauſam ſuam magnâ egit cum ſapientiâ, adeo vt Rex tandem commotus diceret: *in modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Paulus ad hæc: *opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales qualis ego ſum, exceptis vinculis his.*

Ad quæ poſtrema verba admirabundus Chryſoſtomus. *r Quid dicis ô Paule* exclamat, *vbique catenam circumfers, vbique vincula proponis & de ijs vbique gloriaris; in iudicium autem veniens diſciplinam perdidiſti?* Verùm magnâ hoc prudentiâ ab Apoſtolo dictum Sanctus Doctor oſtendit, quia nimirum negotium ei erat cum Gentili, terreno, & mundanæ mancipio vanitatis; qui ſi de captiuitate, & catenis tolerandis ſermonem ingeſſiſſet, à Fide vtique hominem abſterruiſſet: Sciebat, ait Chryſoſtomus Dominum dixiſſe: *Non mittunt vinum nouum in vtres veteres, quoniam diſrumpuntur vtres; Anima huius eſt vter antiquus, non eſt renouatus. Fide debilis adhuc eſt.*

Sed & in ipſis quoque virtutum exercitijs,

q *C.26.v.18.* r *Hom. 16. ad Pop. Antioch.*

tijs, magnam requiri Prudentiam Apoſtolus demonſtrauit. Summo apud eum in pretio erant, ærumnæ, catenę, carceres & flagella: hinc illa eius verba, *ſ gloriamur in tribulationibus*, & alibi *t placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Christo*, & tamen ille tantus contumeliæ amator, à Philippenſibus flagellatus & in carcerem detruſus, inde noluit exire, niſi à Magiſtratu ipſo cum honorificâ quadam innocentiæ teſtificatione, educeretur, vt nempe Euangelij gloriam, ab omni criminis ſuſpicione vindicaret. *u*

Ita Hieroſolymis cùm iam loris adſtrictus ad flagella excipienda eſſet expoſitus, dixit adſtanti ſibi Centurioni. *x Si hominem Romanum, & indemnatum vobis licet flagellare?* atque hac ratione ſupplicium declinauit., is nimirum qui tantopere gloriabatur, & ſibi in contumelijs placebat; verùm hoc magnę fuit Prudentiæ; ſi enim tunc Hieroſolymis publicè Eccleſiæ naſcentis Magiſter flagellari ſe fuiſſet paſſus, & Euangelio nota ingens fuiſſet inuſta, & Iudæis hoſtibus animus & audacia creuiſſet plurimùm.

Diſca-

ſ *Rom.c.* 5. *v.* 10. t 2. *Corinth. c.* 12. *v.* 10. u *Act .c.* 16. *v.* 17. x *Act. c.* 22. *v.* 26.

Diſcamus igitur ab Apoſtolo non modò bonum malo, ſed etiam ipſi bono, quod melius eſt, perſpicaci Prudentiæ oculo præferre: contumelias pati, iniurias grauiſſimas tolerare, flagella plagaſque excipere, meritum Pauli auxiſſet, ſed gloriam Euangelij & Chriſti minuiſſet. Cuius hac ratione nomen obſcuratum, eiuſque felix progreſſus fuiſſet retardatus. Nimirum priuatis communia præſtant: humilitas, patientia, oppreſſio tolerata, priuatum meritum & hominis vnius ſunt virtutes; At Euangelij, veritatiſque auctoritas, pertinet ad omnes.

CAPVT QVARTVM.

De Præceptione, eiuſque adminiſtra Diligentia.

PRudentia Virtus intellectus, ad actionem vt diximus, refertur. Quocirca præcipuus eius actus eſt imperare, vt ea de quibus deliberatum & iudicatum eſt, fiant. Quod tum euenit, cùm ab intellectu ita res agenda voluntati proponitur, vt hæc illi conſentiat, opus aggrediatur, at-

que

que ſibi ſubditas alias facultates, ſiue animi vires, quas potentias vocant, moueat ad exequendum. Quem quidem intellectus actum, vocauit Philoſophus imperium, & idcirco ipſam Prudentiam dixit eſſe ἐπιτακτικὴν ſiue præceptiuam, & imperatiuam.

In hac igitur præceptione idem Philoſophus æquè ac Doctor Angelicus, *a* Prudentiæ primum præcipuumque ſtatuunt officium. Neque enim Prudentem cenſent eum qui poſtquam ritè conſultauerit, atque etiam de re agendâ iudicârit, non moueat tamen voluntatem aliaſque facultates ad actionem;& id genus hominum Philoſophus aſſerit eſſe ſimile Ciuitati, quæ decernit quidem omnia rectè, & leges habet optimas, ſed nullâ vtitur. Quem in finem profert verſum quò Anaxandrides Comicus, olim Athenienſes perſtrinxit, quod magno quidem conſilio & iudicio leges ſtatuerent, ſed eas ſeruare & exequi negligerent.

Porrò, vt ritè fiat, ac ſuis conſtet numeris illud imperium, & quæ ipſum conſequitur operis executio, duabus eget comitibus, ſeu adminiſtris Virtutibus, Diligentiâ, & Conſtantiâ.

Pri-

a 2.2.*q*.47. *a*.8. *in c.*

Primum igitur de Diligentiâ agemus, quæ ſtatim nobis repræſentat promptitudinem quamdam, & celeritatem in agendo, quam omnium etiam antiquorum Philoſophorum ſententiâ requiri Ariſtoteles tradidit, *c* qui eos docuiſſe ait, *quod tardè quidem, & lentè oporteat deliberare, ſed velociter exequi.*

Quamuis verò S. Thomas hanc Prudentię partem nomine Sollicitudinis deſignet, *d* non negat tamen illam eſſe eamdem cum Vigilantiâ, quæ in re ipſa eſt Diligentia, iuxta Sanctum Auguſtinum *e* quem allegat, qui docet *Prudentiæ eſſe excubias, atque diligentiſſimam Vigilantiam.*

Sollicitudo alioquin apud M. Tullium non ſignificat Virtutem, ſed angorem mentis ac metum, quæ in vitio ponuntur. *f* Sollicitudo enim illi eſt *g ægritudo cum cogitatione*. Nomine autem ægritudinis perturbationem, ſiue, vt loquuntur, paſſionem ab eo intelligi, nemo eſt, qui dubitare poſſit. Quocirca cum eodem Tullio loquemur qui hæc alicubi dixit *h reliqua ſunt*

c *6. Ethic. c. 9.* d *2. 2. q. 47. a. 9. in Arg. ſed contra.* e *Lib. de moribus Eccleſ. c. 24.* f *Gr.* μέριμνα *quam Chriſtus etiam reprehendit Matt. 6.* g *Lib. 4. Tuſcul.* h *Lib. 2. de Orat.*

ſunt in curâ, intentione animi, cogitatione, vigilantiâ, labore: complectar vno verbo, quo ſæpè vſi ſumus, Diligentiâ. Qua vnâ virtute, reliquæ virtutes omnes continentur. Sub illo igitur nomine etiam circumſpectionem, cautionem, ſecretorum cuſtodiam complectemur. Hæc enim Diligentia requirit omnia, & generali ſuo ſignificato complectitur.

Videamus nunc quomodo Virtus illa in Chriſti operibus & Doctrinâ eluxerit.

SECTIO PRIMA.

Qua Diligentiâ Chriſtus actiones ſuas peregerit.

ET primum quidem de Domini Diligentiâ & exequendi promptitudine, dubitari non poteſt, cùm vita eius ſanctiſſima tota in explendâ Patris cœleſtis voluntate, fuerit conſumpta.

Quod ipſemet ſæpè dicere eſt dignatus: vnde illud: *Meus cibus eſt facere voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Nimirum illo reſpirabat opere, alebatur, viuebat.

Et quidem hæc dixit, eo tempore, quo ex itinere laborioſè veniens fatigatus, & fame,

fame, ſitique preſſus; omni tamen relicto cibo, potuque ad Samaritanorum ſalutem procurandam ſe conuertit.

Neque lento gradu voluntatem Patris exequebatur, ſed vt Propheta dixit. *k Exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam.* Et vt alibi *l* in eius loquens perſonâ: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam.* Atque illam promptitudinem paſſim in eius vitâ eſt notare.

Cùm anno ætatis trigeſimo elapſo, mox ad Iordanem, tum ad deſertum, inde ad obeundas Villas & Synagogas Paleſtinæ ſe accinxit, & hanc triennio aſſiduè obiuit.

Ad hæc in actionibus ſingulis, prudentiſſimum quemdam ordinem ac decorem ſeruabat: vt quando *m* quinque hominum millia, quinque ſaturauit panibus: nihil in magno illo opere, & in tantâ multitudine paſcendâ, perturbatè, nihil tumultuariè actum. Primùm Diſcipulorum vſus miniſterio Dominus, diſcumbere illos iuſſit; & quidem commodè in fœno viridi; *n* neque permixtim & confusè, ſed per contubernia, ſiue, vt alius Euangeliſta dixit, *o* per conuiuia; & quidem certo numero, centenos nempe & quinquagenos: Vt ſcili-

k *Pſal.*18. *v.*6. l *Pſ.* 39. *v.*8. m *Matt.* 14. *v.*19. n *Marci* 6. *v.*39. o *Luc.*9. *v.*14.

ſcilicet hinc viri, inde mulieres & paruuli diſcumberent, atque facilis inter illos, vti in caſtris, pateret tranſitus, & quis eorum eſſet numerus clariùs appareret. Tum Diſcipulis panes benedictione ſacratos, diſtribuendos tradidit: quibus facile fuit in turbam tantam, tali ordine diſpoſitam, panes piſceſque deferre, eo modo vt nemo præteriretur.

Similiter, cùm vltimus vitæ actus inſtaret, & dilectis ſuis Diſcipulis extrema vellet dare documenta & munera, eorumque lauare pedes; *p* hoc ſuauiſſimæ charitatis opus, cum prudentiſſimâ quadam decentiâ & grauitate eſt executus. Cùm ſurrexiſſet à Cœnâ, veſtimenta extima vel cœnatoria poſuit, idque ſeparato, & decenti in loco, retentâ tunicâ interiore, atque ita nec nudus indecorè comparuit, & tamen ad opus expeditus. Tum linteum accepit, eoque ſe præcinxit, tam ad munditiam ſuarum veſtium ſeruandam, quàm ad pedes lotos tergendos. Dein aquam ſumpſit, pelui infudit, quam auctore Euthymio ipſemet à Domus hero poſtulauit atque protulit, nullius miniſterio adiutus. Denique cœpit eorum lauare pedes; Et quidem à Petro exordium fecit, tanquam à Colle-

p Io. 13.

à Collegij Apoſtolici capite, cui illa debebatur prærogatiua; & ſi, vt Auguſtinus *q* alijque Patres obſeruant, ad alium prius acceſſiſſet Apoſtolum, is maiori tergiuerſatione honorem illum declinâſſet; Verùm quando Petrum voluntati Domini, viderunt acquieſcere, omnes ſine reluctantiâ, lauari ſibi pedes, illicò ſunt paſſi; Ita Dominus diligens, exactus, & in opere iſto fuit eximius, docuitque ſuos in actionibus etiam minimis, decentem illam ſeruare Prudentiam.

Iam executionem & diligentiam non exemplo modò ſuo docuit Dominus, ſed & in eâdem Diſcipulis verbo commendandâ frequens fuit. Itaque eum qui verba eius, & Sapientiam cœleſtem audit & percipit, & eam non exequitur, procul à Prudentiæ virtute aberrare pronunciauit. *r Omnis*, inquit, *qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit Domum ſuam ſuper arenam.* At verò eum qui ſacram ipſius doctrinam intelligit & exequitur, numero Prudentium adſcribit; *Similis*, inquit, *erit viro ſapienti, qui ædificauit Domum ſuam ſupra petram.* Eamdemque ſententiam ſuam pluribus

q *Auguſtinus Tr. 56. in Ioan. Bern. Serm. 2. de Cœna. Dom.* r *Matth. 7. v. 26.*

bus eodem loco modis explicat & confirmat. Arborem quæ non facit fructus bonos, igni adiudicat. Illos in gloriam cœleſtem admittendos aſſerit, non qui dixerint, Domine, Domine, ſed qui fecerint. Et eum qui docuerit & non fecerit, minimum fore in regno cœlorum. ſ

Quapropter vetat etiam Diſcipulos, Phariſæorum & Scribarum, quorum apud Iudæos ſumma erat auctoritas, exemplum imitari. *t Quia dicunt*, inquit, *& non faciunt*. Quod magnæ vtique erat Imprudentiæ. Nôſſe, intelligere, & iudicare quid fieri expediat, & manum illi exequendo non admouere. Quam alibi quoque non damnauit ſolùm, ſed & pœnis caſtigandam grauiter prædixit. *Seruus*, inquit, *u qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis*.

Atque, vt Diligentiam illam curæ cordique haberent Diſcipuli, notiſſimâ illa decem Virginum parabolâ. *x* Grauem ijs negligentiæ pœnam propoſuit ſpectandam. Quinque ex ijs Virgines fatuas deſcribit, eaſque Imprudentię arguit, non quod prudens eis defuerit conſilium, vel iudicium,
cùm

ſ *Matt*.5. *v*. 19. t *Matt*.23. *v*.3. u *Luc*.12. *v*. 47. x *Matt*. 25. *v*. 1.

cùm æquè ac prudentes ſponſo venturo decreuiſſent occurrere; ſed quòd contra Diligentiam deliquiſſent. Cùm enim incertus eſſet ſponſi aduentus, atque idcircò multis fortaſſis expectandus horis, vaſa ſua oleo inſtruere neglexerant, quo lampadum alerent flammam, ideò fatuæ dictæ, à nuptiali excluſæ domo, & voces earum ſupplices: *Domine, Domine aperi nobis*, non exauditæ. Neque illis profuit ſera pœnitentia, inquit Auguſtinus, *y quando illas irridebat vera Sapientia: clauſum ergo oſtium.*

Diligentia præterea cautum facit hominem & circumſpectum. Atque hoc etiam Dominus exemplo primùm, tum verbo ſuos docuit. Inſignem eius cautionem reddidit doloſa Phariſæorum quæſtio *z* quâ illum capere, ſiue vt Græcùs loquitur *α* illaqueare moliebantur. Quando nempe miſſis Diſcipulis ſuis cum Herodianis ipſum interrogârunt: *licet cenſum dare Cæſari, an non*? quibus verbis, vt ait Auguſtinus *β ita bicipiti complexione ipſi inſidiabantur, vt quodlibet eligens caperetur.* Nam ſi affirmâſſet Dominus, dictus fuiſſet Deo iniurius, cuius Iudaïcus populus

O erat

y Serm.22. de Verb.Dom. z Matt. 22. v.15.
α παγιδεύσωσιν. *β Lib. 1. contra Creſconium c.17.*

erat peculiaris : ſi negâſſet, Cæſari ; verùm cognitâ eorum nequitiâ, cautè iuſſit Dominus proferri numiſma cenſus ; cui cùm imaginem Cæſaris inſcriptam faterentur, hinc ſapientia eius telum eduxit, quo ipſorum dolos configeret : *reddite ergo*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, & *quæ ſunt Dei Deo*. Atque ita, & Deo, & Cęſari ſatisfecit, & inſidiantium laqueos declinauit.

Prudentiſſimâ ſimiliter cautione Phariſæorum, & ſcribarum inſidias aſtutiamque eluſit, γ cùm mulierem in adulterio deprehenſam adduxerunt, quam condemnare noluit, atque ita egit, vt neque legem Moyſis violaret, neque à ſuâ manſuetudine quicquam pronunciaret alienum.

Ita Apoſtolos quoque, vt cauti & circumſpecti eſſent præmonuit. Quando enim eos ad Euangelium prædicandum miſit ; δ *Ecce*, inquit, *ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum : eſtote ergo Prudentes ſicut ſerpentes*, & *ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.*

Hos quippe inſidias ipſis ſtructuros prænuntiat, vt vel in mortem, vel in errorem, vel in delictum aliquod eos pelliciant. Serpentis itaque animalis cautiſſimi prudentiam ijs imitandam eſſe, quem Hiſtorici ferunt

γ *Io.*8. *v.*2. δ *Matt.*10 *v.*16.

ferunt aurem aduerſus incantatorem obturare, & ſi ab hoſte ictus ipſi immineant, caudam remulcere, atque ante omnia capiti cauere. Ita cautos, & circumſpectos in ſuâ cum hominibus conſuetudine Dominus voluit eſſe Apoſtolos, videreque, ne quod caput eſt, Virtus, Fides, & Religio erga Deum, pateat in vulnus: ſed hoc ita vt ne quid nimis, & ne in hominum prophanorum aſtutiam, fraudes, doloſque impingant; quapropter ſimplices quoque eos, candidos, ſinceros ad inſtar columbarum eſſe iubet, *vt columbæ ſimplicitas*, inquit Gregorius, ε *ſerpentis aſtutiam temperaret.*

Diligentis quoque circumſpectionis fuit, quod ſeptuaginta duos diſcipulos ſuos Dominus dimiſit in Ciuitates & loca, quò erat ipſe venturus; non ſingulos, ſed binos, vt quiſque nimirum à ſocio ſolatium opemque, atque in dubijs haberet conſilium: vt innocentiæ, actionumque ſuarum teſtem; vt Admonitorem denique rectè agendi, atque à vitijs abſtinendi ſecum duceret; cùm à ſolitudine quæuis facilè mala ſuadeantur. Et hunc quidem morem ab Apoſtolis æque ac Diſcipulis religiosè obſeruatum accepimus. Binos

 enim

ε *Lib. 4. Epiſt.*

enim die Reſurrectionis Diſcipulos in Emaus profectos conſtat; & poſt reſurrectionem Petrum & Ioannem aſcendiſſe in Templum. Eoſdem deinde ablegatos in Samariam. Paulum quoque ac Barnabam miſſos Antiochiâ Hieroſolymam. Hieroſolymis Antiochiam remiſſos Iudam & Sylam. Ipſum vero Paulum, Apoſtolorum Acta vno aut etiam pluribus comitatum Socijs paſſim deſcribunt.

Ad diligentem quoque cautionem pertinet fida ſecretorum cuſtodia, quam & opere Dominus multis reperitur occaſionibus obſeruâſſe, & Diſcipulos ſuos verbo docuiſſe. ς De ſecundo eius aduentu & Iudicij die, ſollicitè aliquando Diſcipuli exquiſiuerunt, ſed declarare noluit. η Vltimam verò cœnam ante Paſſionem cum ipſo peragentibus, proditionem quidem præ manibus eſſe indicauit: nomen tamen proditoris, cùm id ſciret, celauit, ne forte ab illis male haberetur; immò ne, vt S. Thomas opinatur, à Petro interficeretur. θ Idem Petrus poſt Reſurrectionem de Ioanne ipſum interrogauit: *hic autem quid?* at reſponſum tulit; *Quid ad te, tu me ſequere.* Ita mox in cœlum adſcenſurus, Diſcipulis

ς *Matt*.24. *v*.3. *&* 36. η *Matt*.26. *v*.21.
θ *Io*. 21. *v*.22.

lis ex ipſo quærentibus. *An in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* dixit: ι *non eſt veſtrum nôſſe tempora & momenta.*

Cauebat nimirum Magiſter Sapiens, ea ſuis propalare Diſcipulis, quæ ſcire vel nihil eorum intererat, vel certè non profuiſſet, ſed profectui eorum ſpirituali potius obfuiſſet.

Similiter ſæpe vetuit à Diſcipulis nonnulla quæ vel viderant, vel ab eo audierant, publicè declarari. κ Ita tribus illis, qui ipſum in monte Thabor gloriâ quâdam cœleſti fulgentem ſpectauerant *Nemini*, inquit, *dixeritis, viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.* Ijſdem qui filiam Archi-Synagogi mortuam viderant, λ eandemque vitæ reſtitutam; inhibuit ne cuiquam prodigioſum illud factum declararent. Similiter quòd Petrus illuſtri ſuâ confeſſione: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui* proclamârat, μ ab Apoſtolis noluit euulgari, tum alias iuſtas ob cauſas, tum præcipuè, vt Sancti Patres ſentiunt, ne qua ſuis & Patris cęleſtis conſilijs mora inijceretur. Nam, vt Apoſtolus poſtea agnouit: ν *Si cognouiſſent, nunquam Dominum*

O 3

ι *Act.*1.*v.*6. κ *Matt.*17.*v.*19. λ *Luc.*8.*v.*51. *Marc.*6.*v.*43. μ *Matt.*16. *v.* 18. & 20. ν 1.*Cor.*2. *v.*8.

rum gloriæ crucifixiſſent.

o Atque ita, vt Auguſtinus loquitur: *Verbum Diuinum non modo loquendo præcepit, ſed & faciendo præiuit* docuitque nos verbo, & exemplo qualis in exequendo Diligentia ſit adhibenda.

Sectio Secvnda.

S. Ignatij in rebus agendis Diligentia.

ILlum non minore fuiſſe in exequendo Diligentiâ, quàm in rebus decernendis iudicio, Hiſtorici Societatis teſtimonijs memorant plurimis. Quàm indefeſsè id, quod initio ſibi propoſuerat Diuinæ gloriæ per animarum auxilia incrementum ſit perſecutus & aſſecutus, opera eius loquuntur.

Ante omnia Ordo religioſus ab eo Romæ, vnde facilè in Orbem vniuerſum propagaretur, conditus. Per hunc quod ipſe non poterat, mundum totum peruaſit, & Deo innumera animarum millia, multiplici induſtriarum genere acquiſiuit.

Eiuſdem Induſtriæ illius Romæ non pauca exſtant hodieque monumenta; Collegium Germanicum, Domus variæ ad

o *Confeſ. lib.* 10. *c.* 4.

ad quas Orphani, Catechumeni, Iudæi, Puellæ quarum caſtimonia periclitabatur, Mulieres malè nuptę ſe reciperent. Quæ quidem obiter attigiſſe ſuffecerit, vt ad eam quam in Societatis regimine adhibuit, quæ ad rem noſtram magis pertinet, Diligentiam exquiſitam veniamus.

Principio, *a* quamuis in rebus tam conſultandis, quàm decernendis, ita diuina nitebatur Prouidentiâ & auxilio, vt nullo videretur vti humano; perinde ac ſi ope ſolâ Diuinâ res felicem ſortituræ eſſent exitum; in ijs tamen exequendis, & ad finem propoſitum perducendis, omnem adhibebat operam ſuam, omnes perueſtigabat vias, intentatam induſtriam relinquebat prorſus nullam.

Sub veſperam *b* negotia die inſequenti curanda deſignabat, atque etiam ne quid memoriam effugeret, in chartâ notabat. Quod non modò in rerum externarum curâ, verum etiam in ijs, quæ ad animum ac Pietatem ſpectabant, ab eo factitatum, produnt. Nam ſi ad aram ſacra offerenda eſſet hoſtia, in libro omnia perlegebat pridie, conſiderabat, ſignabat. Myſterium verò de quo inſtituenda poſtridie erat Meditatio, totum accuratiſſimè oculis, animo-

a *Ribad. lib.* 5. *c.* 11. b *Maffæus lib.* 3. *c.* 12.

que peruidebat, atque ordine digerebat.

Nocturnis porro horis pluribus, quæ ad ſubiectorum & vniuerſæ Societatis, cui præerat, bonum attinebant, vigil cum Deo & ſecum conferebat; Diurnas verò externorum ſaluti impendebat.

Illos porrò *c* quos non rarò Pontifex Summus, aut ipſemet ad negotia grauia, vel expeditiones arduas ablegabat, accuratis ſcripto & voce præceptionibus inſtruebat, quid obſerua e, quid cauere, quid loco quouis & tempore agere illos expediret.

Talibus præmuniuit Ioannem Nunnium Barettum, priuſquam in Luſitaniam, & inde Patriarcha in Ethiopiam proficiſceretur. Iacobum Laynium & Hieronymum Natalem, à Iulio III. cum Cardinale Morono ad Comitia Auguſtana deſtinatos. Paſchaſium & Salmeronem à Paulo III. miſſos in Hiberniam Nuncios Apoſtolicos. Iacobum Mironem ad Regis Luſitani obſequia abeuntem, alioſque plures.

Neque verò in dandis eiuſmodi Inſtructionibus erat accuratior Ignatius, quàm in earum obſeruatione exigendâ. Poſt peractum à quopiam munus, quæſtionem de illo ſeriam inſtituebat. Hieronymus certè Natalis,

c *Bartolus l.* 3. *n.* 48.

Natalis, poſteritatis memoriȩ annotatum reliquit, ſe, officio quodam expleto quadraginta grauiorum Patrum iudicio fuiſſe ſubiectum, verbiſque acribus à Sancto Patre reprehenſum, ob eam quâ erga domeſticos parum prudenter vſus fuerat, ſeueritatem.

Atque hæc Viri Sancti Diligentia non parum Miniſtrorum eius acuebat induſtriam. *d* Quam augebant quoque frequentes, quas de actionibus ſuis, & negotiorum progreſſu ad ipſum dare iubebantur, literȩ. Omnibus enim Italiæ & Siciliæ Præſidibus præceperat, vt ſingulis ad ipſum hebdomadis accuratè perſcriberent, quænam animarum feciſſent lucra. Quis numerus eorum qui ſpiritualibus excolerentur Exercitijs; quis item puerorum Scholas noſtras frequentantium; quis diuina vſurpantium myſteria, aliaque id genus. Illis verò qui in Hiſpaniâ, Luſitaniâ, Galliâ, Germaniâ degebant, vt idipſum quouis præſtarent menſe; qui in Indijs, ſingulis annis. Idque præter Quadrimeſtres Societatis legibus tunc prȩſcriptas Literas.

Non mediocrem ea res ſollicitudinem in Patrum creabat animis, quoties meminerant ſuarum rationem actionum, & fru-

d *Id. lib.* 4. *n.* 16.

ctus Sancto Patri reddendam. Et quidem Andreas Fruſius dum illo ſcribendi ſubinde perfungeretur officio, teſtabatur ſibi eâ occaſione obiectam fuiſſe quandam Diuini, extremique ſpeciem iudicij, in quo actionum noſtrarum inſtituendæ ſunt quæſtiones. Atque ex eâ quam in hoc opere patiebatur curâ & ſollicitudine, in mentem veniſſe ſibi angores, quos aduentante aliquando ſupremo Iudice eſſet paſſurus.

Ita Magiſtros *e* qui literis humanioribus pueros erudiebant, iubebat ſingulis ad ſe hebdomadis de rebus ſuis accuratè perſcribere, & inde è Sicilia Carminum, aliarumque ſcriptionum exempla Romam mittere; neque illum grauiſſima quę ſuſtinebat negotia, à lectione puerilium iſtarum exercitationum retardabant.

Et quando Scriptionum meminimus, *f* prætereunda non eſt accurata illa quam in literis ad alios deſtinandis adhibebat circumſpectio. Nullam è manibus emittebat Epiſtolam, quam non prius ter quaterue ſub ſeuerum ſtyli ſui examen reuocâſſet, & ſingulos, vt ſic dicam, apices ponderâſſet. Illas verò, quas ij qui à ſecretis ipſi erant, de ipſius mandato expediuerant, non legebat modo totas, ſed relegebat etiam,

e *Orland.lib.*9. *n.*20. f *Bartolus lib.*4.*n.*21.

etiam, & exactiſſimè corrigebat.

Pariſienſibus Sorbonæ Doctoribus Martinus Olauius declarationem quamdam de Societatis rebus mittendam elaborârat. Illam Sanctus Pater tribus integris horis perpendit, ſingula trutinauit verba, conſiderauit, ruminauit. Ne quid non ſatis digeſtum, ſapientiſſimorum iſtorum hominum iudicio proponeretur.

Euenit ſubinde, vt quidam è Patribus perfunctoriè quaſdam exarâſſet Literas; illum Vir Sanctus verbo perſtrinxit. Atque ego, inquit, hac nocte facile tricenas expediam Epiſtolas, neque vlla niſi ſæpius à me relecta abibit, & eas quę mea erunt, manu, bis terue exſcribam, ne in ijs liturę atque correctiones vllæ compareant.

Vti in ſcribendo, g ita & in loquendo, ſummâ vtebatur circumſpectione. Hoc illi in omni ſermone fuit perpetuum, vt nihil temere loqueretur, ſed cogitatò & prudenter. Perſuadebat nempe ſibi, verbum quodque ſuum ad multorum peruenturum aures. In laudando parcus, in vituperando verò erat parciſſimus. Externorum vitia etiam publica, & quæ in ore omnium verſarentur, in ſermone quotidiano ipſe non vſurpa-

g *Ribad. lib.* 5. *c.* 6.

vſurpabat, & in illa, ne alij incurrerent, cauebat.

Erat vniuerſim ſermo eius grauitate plenus, non verborum copiâ, & magis quæ omitti orationis adiuncta, quam quæ addi poſſent, attendebat. Parcè itaque loquebatur & conſideratè. Prolixè & libenter vſque ad finem alios ſine interpellatione audiebat. Neque ex vnâ in aliam rem fortuitò, & caſu deuoluebatur, ſed conſultò tranſibat, tranſitionemque præmunitione molliebat. Viros graues, & auctoritate præſtantes, nunquam auctores proferebat, niſi rerum magnarum, in quibus nihil aut dubitationis ineſſet, aut vanitatis. Factis liberaliorem quàm verbis quemquam eſſe oportere dicebat, vt quod in diem craſtinum promiſerit, id, ſi fieri poteſt, hodierno præſtet. Summam verò adhibebat cautionem *b* ne vel à ſe, vel ab alijs quicquam diceretur, quo eorum, qui Reipublicæ tum Eccleſiaſticæ, tum Ciuili præſunt, acta ſugillari viderentur. Et cùm pruriat humani iudicij libertas, in illis potiſſimùm exquirendis damnandiſque, ipſe non modò ea quæ communi prudentium hominum ſenſu, mali geri videbantur, non damnabat, ſed ne quidem ea quæ ab ijs fie-
ri

b *Bartolus l.4. n.* 21.

ri melius poſſent, quæque vtilia futura viderentur, proferebat. Ne eos vel minùs prouidos depingeret, vel parum benignos.

Contigit dum ipſe viueret, Pontificem quemdam Maximum, tum alijs de cauſis, tum ob ſeueritatis exceſſum, Populo parum eſſe gratum; eumdem quoque Societati minus videri æquum. Ignatius tamen nullâm eius carpendi occaſionem admittebat, ſed laudandi etiam, quotquot poterat, cauſas conquirebat, eiuſque encomia querimonijs externorum frequentibus, opponebat. Neminem verò ſuorum queri de illo patiebatur. Et cùm ex his in Belgium Româ quiſpiam proficiſceretur, id ſeriò illi iniunxit, ne de Pontificis erga Societatem animo, proferret quicquam niſi bonum. Cùmque reponeret alter ſe non inuenire quâ ratione aliqua eius facta benignè poſſet interpretari: Tace ergo de illo, inquit Vir Sanctus, & loquere de Marcello Papa, quem ob benefacta conſtabat eſſe memoriâ dignum ſempiternâ.

Vidimus alibi quàm ægrè tulerit ab Hieronymo Ottello inſigni Eccleſiaſte in ſacro pulpito, Pontificis Max. minus fuiſſe conſideratam ſanctitatem.

Alijs

Alijs quoque temporibus *i* quantopere ſibi curę foret, vt magnorum Principum vitaretur offenſio, demonſtrauit. Carolo Cæſari in Comitijs Auguſtanis aderat Bobadilla, ſummâ omnium procerum approbatione, neque minore Rei Catholicæ vſu. At verò poſtquam Concordiæ notus ille Libellus, *Interim* dictus, prodijt, eique, vt par erat, Bobadilla dictis pariter & ſcriptis ſe oppoſuit: Miniſtris Cæſareis diſplicuit non parum, ab ijſque mox in Italiam eſt remiſſus. Probabatur interim Sedi Apoſtolicæ, Viri in hoc facto Prudentia & Fortitudo, at non Ignatio; qui causâ necdum liquidò compertâ, veritus ne iuſtum in repugnando modum Babadilla eſſet tranſgreſſus, reuertentem in Vrbem, in ædes ſuas recipiendum non putauit. Hoc erat, vt alibi diximus, pœnæ quoddam genus, quo ſuos non rarò caſtigabat. Atque eâ ratione prouidit, vt nec Cæſareis, nec Pontificijs vlla querimoniæ aut reprehenſionis anſa prœberetur. Sed Deo & Eccleſiæ, quæ Dei; Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, manerent.

Atque vniuerſim, *k* in omnibus Diuini obſequij cauſis ſuſcipiendis, circumſpectionem illam, ne cui vlla offenſionis præ-

beretur

i *Orland. lib.* 8. *n* 36. k *Idem lib.* 16. *n.* 22.

beretur occaſio, requirebat maximam. Itaque dicere ſolebat: duo eſſe in Societate hominum genera: vnum eorum, qui exſtruerent ſolùm; alterum eorum qui ſimul, inter exſtruendum, deſtruerent. Primum ſibi genus probari, eos nimirum qui ſtudio, zeloque vterentur moderato, prouidentes ne quam damni cauſam non modò re, ſed ne ſpecie quidem darent: neue offenderentur ij, qui ſi aduerſarij fierent, poſſent noſtrum in Diuino obſequio, & ſalutis publicæ ſtudio, impedire curſum. Atque adeo quædam, quæ rectè aliàs fierent, omittenda cenſebat, non damni priuati formidine, ſed operum reſpectu potiorum. Poſterius verò hominum genus, qui maiore feruore quàm iudicio, & magis impetu feruntur, quàm ratione: qui mala quæ ex bonis naſcuntur, non proſpiciunt, & modò vnius lucrum faciant, multorum patiuntur iacturam, lites, turbas, animorum non formidant commotiones, Populos, Magiſtratus, Concilia, Epiſcopos, Principes, ſuis offendunt ſtudijs: Tales, inquam, homines ferre Ignatius nullâ ratione poterat, cui nihil æquè erat in amore, quàm humilitas, modeſtia, pax, & longanimitas. Quod ſi quos in eam impingere imprudentiam animaduerteret, ſi ſalutaribus

lutaribus locum non præberent monitionibus, eos in ordinem redactos, ab officijs remouebat.

Præterea in ſuſcipiendis, *i* quæ ad animarum ſalutem pertinent, pietatis operibus, cum complecti omnia ipſe non poſſet, magno delectu, publica priuatis; ijs quæ ad tempus durant, perpetua; certa ſemper incertis prætulit, & tuta periculoſis. Neque tam ſpectabat, quantæ res ipſę eſſent, quàm quantum ſpei ad eas conficiendas oſtenderetur.

Dicebat etiam *k* innocentiam vitæ ac ſanctimoniam, multùm quidem per ſe valere & cæteris rebus omnibus longè præcellere. Sed niſi cum Prudentiâ, modóque cum hominibus agendi ſit coniuncta, mancam fore atque infirmam, nec ſatis ad alios iuuandos idoneam: Et plus ſæpe exquiſitam Prudentiam cum mediocri ſanctitate efficere, quàm cum minori prudentiâ maiorem ſanctitatem. Et hoc quidem ſi de communi loquamur vſu ac lege; nam priuilegia Sanctorum extra ordinem ſunt.

Cenſebat ad res bene gerendas *l* profuturum, pauca loqui, multa audire. Non multa ſimul complecti. Neminem felicius nego-

i *Ribad. lib.* 5. *c.* 11. k *Ibid. c.* 10. l *Idem lib.* 5. *c.*11. *Bartolus lib.* 4. *n.*36.

negotiari, quàm qui vnum curat negotium. Et quidem rebus & tempori ſeruiendum, ita vt te rebus, non res tibi nôris accommodandas.

Non probabat Ignatius *m* illam Præſidum nimiam Diligentiam, quâ ipſimet manum rebus quibuſque particularibus exequendis ſubinde admouebant; vti illos volebat miniſtrorum in talibus operâ, idque multas ob cauſas. Primò, quia Deus peculiari quodam auxilio, vnicuique ad officium ſibi iniunctum perficiendum adeſt. Secundò, qui videt Præſidem res iſtas exequi, non quantum poteſt animi ſtudium in eas confert, neque eas tanquam ſuas amplectitur. Tertiò, quia experientia tali Miniſtro multa ſuggeſſit, quæ Præſes ſolâ contemplatione aſſequi non potuit. Quartô, quia in multis, quemadmodum Gladiatori in arenâ, ex tempore capiendum eſt conſilium, quod vtique Miniſtri iudicio relinquendum eſt totum, cùm tales euentus ſæpè præuideri non poſſint. Denique quia præſtat, vt Miniſtri, ſi errent, à Præſide corrigantur, quàm hic ab illis.

Exſtat epiſtolæ cuiuſdam, ab Ignatio ſcriptę fragmentum, *n* ad Iacobum Mironem Luſitaniæ Præpoſitum Prouincialem,

m *Bart. ib.* n *Orland. lib.* 13. *n.* 55.

lem, qui ijs quæ Rectorum erant, negotijs nimis ſuam addicebat operam, quod his verbis refertur: *Non eſſe Generalis, aut Prouincialis Officium, minuta ac temporaria, præſertim in adminiſtrando ſectari; ſed potius ad inſtar excelſi cuiuſdam Motoris, Orbes ſubiunctos æqualiter, & cum grauitate ciere. Itaque cogitationes ſuas defigeret in totius Prouinciæ commodis; & in rebus quidem ſingulis, cùm opus eſſet ordinandis verſaretur, & peritorum ſententiam exquireret. Cæterùm ab ijs per ſe curandis & tranſigendis, vt plurimùm abſtineret. Ita plura facturum, & magis muneri ſuo conuenientia: futurumque multò opportuniùs, vt ſi quid in agendo fortè peccetur, ipſe alios corrigat, quàm vt ipſum, ſi fortè erret, quod procliue eſt ſingula ſcrupuloſiùs perſequenti, inferiores emendent.*

Ad cautionem quoque prudentem illud ſpectat, quod exemplo Chriſti & Apoſtolorum, S. Pater ſuos voluit binos ſemper, aut aſſociatos in publicum prodire, ob eaſdem quas Diuina Sapientia attendit rationes, vti ſupra dictum eſt. Quas etiam S. Bernardus *o* ſapienti, & acutâ attigit allegoriâ, dum dixit: *Qui dimittit oues in*

o *Serm. 77. in Cant.*

in paſcua abſque Cuſtode, Paſtor eſt non ouium, ſed luporum. Quod ita exactè Ignatius obſeruari iubebat, vt etiam in Indijs & extremo Oriente, vbi tanta hominum Societatis erat raritas, ſine ſocio & cuſtode vellet prodire neminem. Recenſuimus alibi quàm ſeuerâ caſtigarit pœnâ, ſenem, qui ſolus fœminam decumbentem auſus fuerat adire.

Huc denique pertinet fida illa ſecretorum cuſtodia, *p* tantopere ad prudens regimen requiſita. Quam Vir Sanctus, non in magnis ſolùm, ſed in paruis quoque ad domeſticos pertinentibus rebus, admodum religiosè tuebatur. Neque ſi quid minus decenter ab aliquo geſtum erat, id cuiquam aperiebat, niſi fortè vt emendaret, & tunc quidem tam modeſtè, tam exiſtimationi eius qui peccauerat amicè, vt ſi vnus teſtis ſatis eſſet ad remedium, duos non adhiberet.

Quam Sanctè verò arcana cuſtodiri vellet, *q* oſtendit aliquando ſeuerâ illa Iacobi de Eguia, Viri ceteroquin Sancti, punitione. Linguam eius præcepto, ne quid de ipſius factis quæ nouerat, ediceret, alligauerat. Non potuit tamen bonus ſenex à ſe impetrare, quo minus ſubinde in laudes

p *Ribad.lib.*5. *c.*6. q *Bart. lib.*3. *n.*45.

des Ignatij erumperet, eumque ſanctum, & pluſquam ſanctum prædicaret. Quod cùm ad ipſum delatum eſſet, non modò Iacobum à Confeſſarij officio, quæ ei fuit pœna acerbiſſima, remouit; verùm etiam tribus conſequentibus diebus ipſum ſe flagello verberare iuſſit, idque eo tempore quo terni legerentur Pſalmi; & poſt ſingulos voce cuiuſdam admonebatur, vt deinceps in arcano ſeruando eſſet cautior, & parciùs alios laudaret.

Sectio Tertia.

Quàm neceſſaria ſit Superiori Diligentia, Cautio, Secreti cuſtodia, &c.

EA quæ allata ſunt dicta, factaque, viam perſpicuè ſignant quâ prudenti animarum Rectori ſit incedendum. Nam cùm Chriſtianorum omnium Officium in opere Diligentiam requirat, tum eadem virtus, & vigilantia, labor, induſtria, cautio, circumſpectio, eorum qui alijs præſunt planè propriæ ſunt virtutes. *Capùt namque ſubiectorum ſunt cuncti qui præſunt*, inquit Gregorius, a *& vt recta valeant pedes itinera carpere, proculdubio caput*

a *Paſt. p. 2. c. 7.*

caput debet ex alto prouidere.

Perſarum Reges immenſitatem quamdam ſibi ferunt exoptâſſe, vt in ditione ſuâ eſſe vbiq́ue, & omnibus poſſent intendere negotijs. Cùmq́ue eò ſe pertingere poſſe deſperarent, Miniſtros ſuos, quos Otacouſtas nominârunt, vbiq́ue diſpoſitos habuerunt, qui illis erant oculorum auriumq́ue inſtar, & ad aulam regiam omnia quę gerebantur, deferebant. Ita Superiores velut excelsâ conſtituti in ſpeculâ, perpetuam exercere circa commiſſum ſibi gregem vigilantiam tenentur.

Quod præclarè etiam monet Bernardus, *b* dum illa verba ſponſæ examinat: *Inuenerunt me Vigiles Ciuitatis*; *ſed enim*, inquit, *quinam ſunt illi vigiles, à quibus ſe inuentam perhibet Sponſa? Nempe Apoſtoli, Apoſtolicique Viri, verè hi ſunt qui cuſtodiunt Ciuitatem, eòque vigilantiùs, quò grauiùs periclitantem conſpiciunt*: Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris ſuccedunt, quotquot Dominici gregis regimen ſuſceperunt. Cauendum ſeriò, ne in illos torqueri poſſint verba quæ Bernardus ſubiungit; *Illorum ſortiti ſunt Miniſterÿ locum, ſed non zelum; ſucceſſores omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. O vtinam tam vigiles reperi-*

b *Serm. 77. in Cant.*

reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram! Hæc ille atque plura in eamdem ſententiam.

S. Ignatius porrò cuius propoſuimus exemplum, hanc virtutem Præpoſito ſuo inſtruendo etiam non omiſit, c ſed eam in ſuis Conſtitutionibus, paucis at multa in ſe complectentibus ita expoſuit verbis: *Quarta, & imprimis neceſſaria ad res conficiendas Præpoſito eſt Vigilantia, & ſollicitudo ad eas incipiendas, & ſtrenuitas ad eaſdem ad finem, & perfectionem ſuam perducendas; vt nec incuriâ, nec remiſſione animi, inchoatæ & imperfectæ relinquantur.* Ac de Strenuitate quidem & Conſtantiâ ſequenti capite.

Vigilantiæ verò, ſiue Diligentiæ & Sollicitudini, opponit Sanctus Fundator *Incuriam*, quę eſt ipſa Negligentia, quam S. Thomas Sollicitudini dicit repugnare: Sicut enim Conſilio & Eubuliæ Præcipitatio; Syneſi Inconſideratio; Ita Diligentię, ſiue, vt loquitur Doctor Angelicus Sollicitudini, opponitur Negligentia ſiue Incuria, quam idem in hoc conſtituit, quod ratio ſiue intellectus, non excitet voluntatem, neque illi promptè præcipiat ea quæ agenda ſunt vt oportet. Adde quod neque

c *P. 9. c. 2. §. 7.*

neque ea quę impedire optima conſilia & decreta poſſunt, proſpiciat & caueat. Fruſtra enim optima conſilia, ſi cautio non adhibeatur, & in declinandis obſtaculis ſis incurius.

Euentus porrò incertos, ſiue, vt Theologi loquuntur, futura contingentia quædam, præuideri & declinari ab humanâ prouidentia poſſe, Doctore Angelico *d* aſſentiente, in confeſſo eſt. Duplicis enim ait ille futura contingentia eſſe generis. Primùm, ea quæ accidunt plerumque, & illa per Prudentiam comprehendi, cauerique poſſe. Secundò; Ea quę caſu incidunt, & fortuita vocantur, quæ cùm ſint infinita, ratione comprehendi non poſſunt. *Neque homo*, inquit, *ſufficit ea cauere, quamuis per officium Prudentiæ contra omnes fortunæ inſultus, ſe diſponere poſſit, vt minus lædatûr.* Imprudentiæ ergo arguetur, quiſquis futura illa prioris generis non præuiderit, vt ſi quis per iter hoſtibus infeſtum, ſine ſaluo conductu, aut comitatu militari proficiſcatur; at non ille, qui cautiones illas adhibuerit, eſto, ſiniſtri quid accidat; hoc enim fortuitis adnumerabitur.

Similis imprudentiæ eſt, res deliberatas

d 2. 2. *q.* 49. *a.* 8.

tas decretaſque, aut nobis commiſſas, ſi ſecretum exigant, reuelare. Quę quidem incuria, & linguæ incontinentia, magna ſæpe priuatis hominibus damna; ſed ijs qui pręſunt maxima procreat. Vnde illud olim vſurpatum *neſcit imperare, quiſquis neſcit ſilere*. Quamobrem Sanctus ille & Sapiens Rex orabat. *e Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.*

Quod oſtium, niſi is qui præeſt, cautè cuſtodiat, ſed quę cogitata, audita, deliberata, facile in publicum producat, multis ſe malis deprehendet implicatum. Inprimis, quis inferiorum mentis ſuæ arcana ei committere audebit, quem rimarum plenum, perfluere vndique cognouerit? Diffidentiam talis Prelatus, magnum in quouis cœtu malum, fouebit. Præterea ſi quę prudenter & vtiliter fuerint conſtituta, publicè innoteſcant, non rarò quę ſuperari nequeant, obſtacula obijcientur. Bonis enim conſilijs mali aduerſantur: multitudini autem mali numquam deſunt. Notum eſt illud Metelli: ſi tunica mea conſiliorum meorum eſſet conſcia, detractam eam in ignem mitterem.

Quid ſi iam de Officio, vel dignitate cuipiam

e *Pſal*. 140.

cuipiam deferenda, deliberatum ſit, &, vt ſit, ob cauſas non leues, quas ſubinde tempus aperit, vel ſecum aduehit, mutanda ſint conſilia; in quas conjicietur perturbationes, is qui ſe eâ, quam iam animo non dubiam conceperat, ſpe fruſtratum ſentiet? his, alijſque incommodis grauiſſimis qui linguam frenare neſcit Prȩlatus, patebit. Vnde Sapiens f *ſicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita Vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Quia enim*, inquit Gregorius, g *murum Silentij non habet, patet inimici iaculis.*

Atque hanc arcanorum cuſtodiam, maximas quaſque Reſpublicas & Principes ſummopere curæ habuiſſe, Hiſtorici commemorant. Alphonſum Aragoniæ & Neapolis Regem dixiſſe ferunt, ſe, ſi priſco Romanorum æuo vixiſſet, Senatum fuiſſe hortaturum, vt ante Curiæ fores aram ſtrueret Ioui Poſitorio, in quâ Senatores ingredientes, priuatos affectus, egredientes verò arcana Senatus deponerent. Quamquam taciturnitatem hanc eis curæ fuiſſe, Papirius pæne puer in Senatum admiſſus celebrem fecit, h dum muliebrem matris curioſitatem arcana inueſtigantem, le-

P pido

f *Prouerb.* 25. g *Paſt.p.* 3. *adm* 15. h *A. Gellius.*

pido reſponſo eluſit. Sed & apud Perſas fidiſſimum fuiſſe conſiliorum, rerumque agendarum ſilentium Curtius narrat, atque illos cenſuiſſe, *non poſſe rem magnam ab eo ſuſtineri, cui tacere graue ſit.* i

CAPVT QVINTVM.

De Conſtantia.

HAnc quoque Virtutem ad tertiam Prudentiæ partem & officium; quam Præceptionem S. Thomas vocat, pertinere ſuprà diximus: eſtque ea vis, quâ quis ijs quæ deliberata, & decreta ſunt exequendis, firmiter inſiſtit, neque à rectitudine propoſitâ, vllis ſe, vel ſuaſionibus, vel affectibus, aut perturbationibus ſinit dimoueri. Magnarum ea virtus eſt mentium, quam tantis laudibus vetus Philoſophia, & potiſſimùm quæ in virtute ſummum ſtatuebat bonum, Stoica celebrauit. *Nihil eſt*, inquit Tullius, *a quod tam deceat, quàm in omni re gerenda, conſilioque capiendo ſeruare Conſtantiam.* Itaque Cæſarem laudat *quod grauitatem ſuam perpetuâ Conſtan-*

i *Lib.* 4. a *Lib.* 1. *Offic.*

Conſtantiâ roborârit, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque Conſilio permanſerit.

Videndum igitur quomodo vera, perfectaque Conſtantia in Paſtorum Principe eluxerit.

Sectio Prima.

Chriſti Conſtantia.

SIcut Chriſtus promptiſſimè Patris voluntatem eſt amplexus, ita conſtanter illam executus eſt. Quemadmodum enim Dauidis Prophetæ ore dixit: *b Ecce venio vt faciam voluntatem tuam.* Ita per Iſaiam. *c Non contradico, retrorſum non abij:* ac ſi dicat: quando ô Pater æterne in primo Incarnationis meæ momento mihi aurem aperuiſti, quando nimirum reuelâſti quæ mihi in terris agenda, quęque toleranda, non contradixi, illa admiſi, expleui, paſſus ſum; neque vllis vnquam, vel hominum ſuaſionibus, vel boni cuiuſquam deſiderijs, vel malorum timoribus, doloribus, iniurijs ceſſi, neque ob talia retro pedem tuli.

Cùm de Lazari periculoſo morbo nuncium accepiſſet, *d* velletque in Iudæam redire,

b *Pſ.* 39. *v.* 8. c *Iſaia* 50. *v.* 5. d *Io.* 11. *v.* 8.

redire, ab eo decreto trepidi Diſcipuli Dominum abducere ſunt conati propoſito mortis periculo & timore: Rabbi, inquiunt, *Nunc quærebant te Iudæi lapidare*; An eorum conſilio detulit?

Cùm mortem acerbiſſimam ſibi in infami Crucis ligno ſubeundam Apoſtolis prędixiſſet, ne funeſto illo euentu turbarentur, atque etiam diſcerent talem mortem non accidere inſcio ſibi, vel nolenti: Petrus eius amiciſſimus, conatus eſt illum ab illâ mente auocare, atque amicè alia illi ſuggerere conſilia; verùm ſeueram retulit obiurgationem, neque aliorum Apoſtolorum aut Diſcipulorum vllus auſus eſt poſtmodum ſimile quid tentare.

Salutem hominum ex mandato Patris inceſſanter, perpetuoque ſtudio, & labore quæſiuit, & quidem potiſſimùm peccatorum. Vnde illud. e *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Et f *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Vt ergo tales regno ſuo adiungeret, atque è peccatorum cœno extractos in viam reuocaret ſalutis: non dubitauit etiam conuiuia, menſaſque Publicanorum, & peccatorum, ipſe Dominus virtutum, & ſanctitatis adire. Permittere etiam, vt mulier,

e *Luc.*19. *v.* 10. f *Matt.*9. *v.* 13.

mulier ob mores prauos infamis, ipſius pedes & tangeret, & oſcularetur. At Phariſæos Scribaſque idcirco murmurare, factaque illa tanquam Meſſiæ, magnique Prophetę dignitati non conſentanea improbare ac reprehendere non erat neſcius: An auctoritati illorum aliquid detulit? Minimè verò, id quod ad Patris gloriam, animarum ſalutem procurandi ſuſceperat opus, neutiquam intermiſit.

Quando verò ſacro-ſancta Euchariſtiæ myſteria cœpit ſuis declarare Diſcipulis, atque aſſerere Carnem ſuam verè eſſe cibum, & Sanguinem ſuum verè eſſe potum; tametſi ſciret non paucos ex illis idcirco perturbari, murmurare, & abitum quoque meditari, perfidum verò Iudam diabolicis agitari ſuggeſtionibus, & non diu poſt proditionem eius palam erupturam; à ſuis tamen veritatis dicendæ decretis, non diſceſſit, & denique Carnem ſuam & Sanguinem Diſcipulis ſuis largiri non omiſit.

Et cùm in omni ſuâ vitâ tenorem illum immobilem ſeruauerit Dominus, tum præcipuè tempore Paſſionis ſuæ, tanquam in theatro ſpectandam ſuam mortalibus exhibuit conſtantiam, quæ cùm notiſſima ſit atque aſſiduis piorum hominum commentationibus recolatur, nihil attinet ei commemo-

memorandæ inhærere.

Eamdem animi firmitatem, non opere ſolùm ſed cœleſti quoque doctrinâ ſuâ Diſcipulis non rarò commendauit; illam in Ioanne inſigni encomio celebràuit, cùm inter alias excelſæ eius mentis laudes, etiam hanc recenſuit, quod non eſſet ſimilis arundini vento agitatæ. *h*

Ita dixit eum qui mittit manum ad aratrum & reſpicit retro, non eſſe aptum regno Dei. *i*

Eò ſpectat ſimilitudo illa quâ doctrinæ & diſciplinæ ſuæ immobilem declarauit ſtabilitatem; Nam eum qui illam fuerit amplexatus, & opere compleuerit, ſimilem fore domui in Petra fundatæ aſſeruit, in quam tametſi deſcendat *pluuia, k & venerint flumina, & flauerint venti & irruerint in ipſam, loco tamen motum non iri.* Volebat nempe Diſcipulos ſuos, qui doctrinam ſuam cæleſtem aſſecuti fuerint firmos, inconcuſſóſque in via rectâ permanere, neque ad inſtar arundinis vento agitatæ *l* à rectitudine flecti.

Sectio

h *Matt. c.* 11. *v.* 7. i *Luc.* 19. k *Matt.* 7. *v.* 24. *Luc* 6. *v.*47. l *Matt.*11.*v.*7.

SECTIO SECVNDA.

Strenua Sancti Ignatij Conſtantia.

EXcelſam quamdam Chriſtus docuit, & mundo ſpectandam præbuit Conſtantiam, & ab illo, tamquam primo Virtutum omnium fonte, viri Sancti mentis in rebus diuinis firmitatem hauſerunt.

In his S. Ignatius raram in omni vitâ & actione ſua coluit conſtantiam. Neque quicquam quod ad diuinum decreuiſſet obſequium, ob vllum vel humani præſidij defectum, vel rerum aduerſarum occurſum, vel operis ipſius arduitatem, imperfectum vnquam dereliquit. Cauſas verò iſtius animi inflexibilis ſuprà attulimus, quando diximus, eum nihil alicuius momenti, niſi maturâ admodum deliberatione, 1 & multâ oratione præmiſsâ, atque etiam, cùm res ferret, aliorum audito conſilio decreuiſſe.

Neque verò tunc ſolùm, cùm ad ſuprema Societatis gubernacula admotus fuit, illam animi demouſtrauit conſtantiam; ſed in eâ quoque vitâ quam ante illam conditam egit priuatus. Narrant Hiſtorici,

quas perſecutiones, carceres, vincula in Hiſpania fuerit paſſus; potiſſimùm poſtquam animarum ſalutem promouere cœpit. Nullę tamen tantæ excogitari potuerunt iniuriæ, calumniæ, criminationes, vt mentem eius à iuuandis animis auocarent.

Et cùm Barcinone, vti initio narrauimus, ob impeditam in quodam Monialium Monaſterio diſſolutionem, atrocia à nefarijs hominibus paſſus eſſet verbera, ita vt ab ijs velut mortuus, certè ſemianimis, & in terra proſtratus relinqueretur; poſtquam reſpirare potuit, & viribus vtcunque recuperatis pedem domo licuit efferre, ad priſtinam animas illas iuuandi curam è veſtigio eſt reuerſus; neque illum Agnetis Paſchalis preces ac lachrymæ, neque amicorum conſilia, neque grauia quæ imminere ipſi dicebantur pericula, ab inſtituto dimouere potuerunt.

Eâdem animi Conſtantiâ literarum in ſtudijs quæ Barcinone aggrediebatur, perſeuerauit. Illa homo triginta tres annos natus, & in Aulâ armiſque educatus, à primis Grammaticę rudimentis vſque ad Theologię Scholaſticę Magiſterium percurrit. Atque in illis quidem Barcinone, Compluti, & Salmanticæ quadriennio verſatus, cùm animaduerteret parum aut nihil

hil ſe profeciſſe, quòd ſimul omnia eſſet complexus; Pariſijs iterum velut à primis carceribus curſum reſumpſit, cœpitque denuo Grammaticæ, & literis humanioribus operam dare, inde ad Philoſophiam, & nouiſſimè ad Theologiam ordine meliori progredi.

Neque hunc eius animum vel morborum quibus affligebatur frequentia, vel rerum diuinarum, quâ plurimum rapiebatur, ſuauitas; vel egeſtas ſumma, tantopere ſtudijs inimica, mutare valuerunt. Octo annis in illo ſtudiorum labore perdurauit, atque vt vitam interim ſuſtentare poſſet, opus habuit quot annis in Belgium, & ſubinde in Britanniam excurrere, ad ſubſidia conquirenda.

Cùm Studiorum illo curſu Pariſijs pænè confecto, *a* in Patriam ſuam multis de cauſis ſociorum ſuorum iudicio proficiſceretur, mox Frater eius, & propinqui venienti obuios certos miſerunt homines, qui illum in arcem ſuam Loyolam adducerent. At hoc perſuaderi ipſi non potuit. Aſpeitiam ad Oppidum Loyolæ vicinum perrexit; Clerus, Populuſque ſupplicabundus tanquam Viro Sancto occurrit ante Oppidi ingreſſum, Frater quoque, ac propinqui.

a *Ribad. lib.2. c. 5. Bartolus l. 2. n.23.*

pinqui. Et hi non modò rogârunt, ſed & adiurârunt quodammodo illum, vt Loyolam ſecum concederet: ſed nullis rationibus, precibus, aut ſuaſionibus locum dedit. Ad Xenodochium, & ad pauperes diuertit.

Miſit deinde fratris eius Vxor lectum magnificè adornatum, ſupellectilem, cibum, omnia viro nobili digna: neque lecto vti, neque cibo veſci ſuſtinuit, ſed hoc in pauperes deſtributo, ipſe humi cubabat, & emendicatò victitabat pane; Pueros deinde doctrinæ Chriſtianæ rudimentis inſtruere eſt aggreſſus. Hîc Garcia frater, opus illud omni ſtudio, tanquam familiæ ſuę probroſum, conatus eſt diſſuadere. Fruſtra fuit. Diſcedentem poſt trimeſtre idem frater comitari conatur; curtus, equoſque offert, rogat inſtanter vt illis vti non dedignetur, non tam commodo ſuo, quam familiæ hoc concedat honori. Remiſſis equis famuliſque, iter pedes peregit. Ita ſui ſimilis ſemper manſit Vir Sanctus, neque a propoſitâ paupertate humilitateque, vllis propinquorum precibus potuit abduci.

Similiter in alijs etiam minimis negotijs, *b* propoſiti ſemper mirè-tenax fuit. Si

b *Maffeus lib.* 3. *c.* 9.

Si iter certo die facere ſtatuiſſet, nullâ vi tempeſtatis, aut alterius incommodi, ab eo peragendo abſterrebatur. In adeundis Principibus viris, quod neceſſariò & ſæpè faciebat, cunctas Aulæ moleſtias, & indignitatem, Aulicorumque contumaciam mirabili quadam alacritate deuorabat. Acciditque aliquando, vt aditu excluſus, commodam admiſſionem horas quatuordecim ieiunus expectaret.

Iam ea, quæ ad rei communis, vel domeſticorum ſuorum bonum, dum Societatem regeret, agenda decreuerat, nullâ ratione induci poterat, vt mutaret. Statuerat, ne quis ex aliorum Ordinum tranſfugis, quamuis eruditione, eloquentiâ, aut aliâ quauis laude clarus in Societatem admitteretur. Obtulere ſe multi: nec prece, nec gratiâ vnquam adductus eſt, vt quemquam reciperet. Quin etiam ſi quis per noſtrorum imprudentiam irrepſiſſet, qui vel diem vnum in alienis fuiſſet caſtris, contrà nitentibus interdum aduenæ propinquis, amiciſque gratioſis, ad priſtina ſigna hominem remittebat.

Cùm decreuiſſet omni ſtudio impedire, ne ad poſtulationem Caroli Cæſaris Franciſcus Borgia à Iulio III. Pontifice ad Cardinalitiam aſſumeretur dignitatem,

c id dicebat ſibi ita fixum deliberatumque eſſe, vt etiam mundo toto flexis ante ſe genibus deprecante, ab eâ ſententiâ paſſurus non eſſet ſe abduci.

Plurima pietatis opera quæ Romæ animarum ſaluti maximè vtilia ſtabiliuit, ſuperatis innumeris, quas infernus perpetuò excitabat, oppugnationibus, ad culmen perduxit.

In Collegio Germanico difficillimis temporibus conſeruando, eius conſtantia tum potiſſimùm eluxit, *d* cùm defunсto Iulio III. Pontifice Max. cuius benignitate alumni ſuſtentabantur, & annonæ caritate maximâ ſub Pauli IV. Pontificatu conſecutâ, ſubſidia ad alendam tam illuſtrem, vtilemque Eccleſiæ Familiam omnia defecerunt. Hîc quippe veritus Pater optimus, ne res tanta dilaberetur, iuuenes illos partim in varias Societatis Domos diſtribuit, vt eorum commodis proſpiceret; partim Romæ magno ſuo labore ſuſtentauit, conquiſitis omni viâ ratione que pecunijs, & fide ſuâ creditoribus obligatâ pro illius Collegij orbitate. Atque ita Collegium illud clariſſimum originem quidem ſuam Deo, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ debet, ſed progreſſum & conſeruationem, in-

uictæ

c *Bart. lib.*4. *c*.19. d *Orland. l*.12. *n*.9.

uictæ Sancti Ignatij Conſtantiæ.

Quæ eius virtus domeſticis omnibus noſtris ex frequenti vſu erat notiſſima, *e* ſciebantque id, quod ab illo ſemel propoſitum, concluſumque foret, pro iam facto habendum. Simon Rodericius id ſe cognouiſſe, memorabili quodam docuit euentu. Romam illum S Pater è Luſitania euocârat: non diu poſt Vir ille ceteroquin ſummâ virtute, cœpit iſtam à Patriâ, & Prouinciæ regendę officio ſeparationem, velut iniuriam quamdam, & publicam apprehendere infamiam, & Satanâ (qui dormitat nunquam ſed viris etiam ſanctiſſimis inſidiatur) agitante, eò adductus tandem eſt, vt ſtatuerit à Pontifice Max. petere licentiam, vt ab Ignatij Præpoſiti ſui Generalis imperio exemptus poſſet in Eremum quampiam Luſitanam ſe recipere, ibique vitam agere Anachoreticam. Ad Pontificis porro auctoritatem implorandam mouebatur, tum alias ob cauſas, tum quod conſtaret Ignatium inflexibilem eſſe, neque ſpem vllam ſupereſſe, vt ab eo quod ſemel animo ſtatuerat, ſe pateretur dimoueri. Verùm fœliciorem res illa exitum habuit: nam, neque Ignatius à ſuâ diſceſſit ſententiâ, & Simon eius

Oratio-

e *Id. lib.* 14. *n.* 6.

Orationibus, Sacrificijs, pœnis, atque optimis conſilijs ad meliorem mentem & tranquillitatem eſt reuocatus. Atque triginta ferè poſt eum diem annis ſuperſtes, pręclara virtutis & ſanctitatis, poſteris reliquit exempla.

Neque verò apud domeſticos ſolum, *f* ſed etiam apud externos, illa Ignatianæ mentis firmitas & conſtantia percrebuerat. Itaque Cardinalis Carpenſis ijs, qui Virum Sanctum à capto quopiam conſilio reuocare nitebantur, dicere ſolebat: Clauum fixit, nihil eſt quod ſperes. Et Iulius III. *g* Pontifex feſtiuè admonebat viros etiam Principes, ne de rebus ad Dei obſequium ſuſceptis, cum Ignatio contenderent, ni vellent vtique è certamine victi diſcedere.

Sectio Tertia.

Quas ob cauſas, & quo modo Conſtantia à Superiore ſeruanda.

QVemadmodum diximus Diligentiæ repugnare Negligentiam, ita Conſtantiæ opponitur Inconſtantia: Vitium quo,

f Bartolus lib. 3. cap. 9. g *Maffeus lib. 3. cap. 9.*

quo, vt loquitur Doctor Angelicus, *a quis recedit à bono propoſito; quod fit propter bonum aliquod quod ſibi inordinatè placet. Qui receſſus conſummatur per rationis defectum, quæ fallitur in hoc, quod repudiet id quod acceptauerat.* Quod verò mens non reſiſtat affectionum, quæ illam oppugnant, impulſui, hoc S. Doctor oriri aſſerit ex debilitate quâdam intellectus, *qui*, inquit, *non tenet ſe firmiter in bono propoſito concepto.* Manifeſtè igitur vitium hoc repugnat Prudentiæ, virtuti intellectus, cuius eſt maius bonum præferre minori. Cùm autem per deliberationem maturam id, quod optimum erat, electum fuerit, non poteſt ab eo recedi, niſi ſimul à Prudentiâ diſcedatur.

Inconſtantia illa cùm per ſe in quouis homine ſit probroſa, tum in eo qui regit, magnopere eſt noxia: Et Inconſtantibus quibuſuis Gregorius *b* dictum Sapientis tribuit. *Cor ſtultorum diſſimilè erit. Cor* c *quippe Sapientum*, inquit, *ſibimet ipſi ſemper eſt ſimile, quia dum rectis perſuaſionibus acquieſcit, conſtanter ſe in bono opere dirigit; cor verò ſtultorum diſſimile eſt, quia dum mutabiliter ſe varium exhibet, nun-*

a 2.2.*q.*53. *a* 5. *in c.* b *Paſt. p.* 3. *Adm.*19.
c *Prou.* 19.

nunquam idem quod fuerat manet.

Superior porrò inconſtans, ad inſtar pilæ varijs ſubiectorum, ijſque repugnantibus poſtulationibus iactabitur. Neque vllam de eius virtute opinionem inferiores concipient, quem firmitate in ſuis carere decretis animaduertent. Timidè etiam illi obtemperabunt, cùm dubitabunt, an quod hodie imperauit, cras non ſit reuocaturus. *Quis*, inquit Bonauentura *d eius iudicio credat, vel eius voluntati ſe contemperet, quem in neutro ſtabilem agnoſcat?*

Ita tamen à Superiore ſeruanda eſt Conſtantia, vt modum non excedat, & in aliud vitium non minùs probroſum & noxium, nimirum in Pertinaciam impingat. Quam Ariſtoteles etiam damnauit, *e* qui eos qui ſuam nimis amant ſententiam, eique, vbi non oportet, aut pluſquàm oportet, adhærent, à virtute docet aberrare. Hominis enim incertas eſſe prouidentias notiſſimum eſt. Cùm igitur euenerit, vt ratio quæpiam antea prorſus ignota manifeſtetur, vel res mutentur, vti non rarò contingit, ita vt appareat minus bonum aut vtile futurum id, quod fuerat decretum.

d *De 6. Alis c. 6. n. 4.* e ἰσχυρογνώμων ἰδιογνώμων *talis Ariſtoteli dicitur.*

tum. Mutatis rebus, mutandum vtique eſt conſilium. Nam non modò imprudens, ſed & ſtolidus dicaris, ſi malum bono, vel minus bonum bono maiori præferas. Et præſtat Inconſtantiæ quam Stoliditatis incurrere notam. Quod vidit Bonauentura; f *ſicut ſtoliditatis eſt*, inquit, *meliùs mutare in deterius; ſic etiam ſtolida eſt obſtinatio tam pertinaciter inhærere conceptis, vt pro maiori bono & aperto, ab eis flecti non poſſit.* Et quidem ſine leuitatis notâ mutari interdum poſſe ſuſceptum decretum, liquidò nos docuit Apoſtolus Paulus, cuius vita, & res maximæ quas geſſit, inſignem eius vbique teſtantur Conſtantiam. Is ſignificauerat Corinthijs g ſe dum in Macedoniam proficiſceretur, ipſos viſurum. Hoc tamen poſtmodum non pręſtitit, & ne forte mirarentur Corinthij, ſcribit illis: *Cùm ergo hoc voluiſſem, numquid leuitate vſus ſum?*

Quemadmodum nimirum homines imprudentes, qui naturæ ſequuntur motus, agere conſueuerunt; minimè verò, id non ex inconſtantiâ, & mentis aliqua leuitate factum. *Teſtem*, inquit, *Deum inuoco in animam meam quod parcens vobis non veni vltra Corinthum.* Nempe quia intellexi, delicta quæ

f *Sup. n.* 5. g 2. *Cotint. c.* 1. *v.* 16. 23.

quæ reprehenderam, necdum eſſe emendata; idcirco nolui adhuc ad vos proficiſci, ne quid fortè acerbiùs cogerer decernere. Vbi etiam illud nequaquam negligendum, quod tanti Conſtantiæ decus fecerit Apoſtolus, vt graui interpoſito iureiurando ſe ab Inconſtantiæ notâ cenſuerit expurgandum.

Ita S. Ignatium cùm tam firmiter Cardinalitiam Borgiæ dignitatem, vti retulimus, impedire ſtatuiſſet, dixiſſe accepimus, ſe, ſi Pontifex Max. in alia foret ſententiâ, è veſtigio placidiſſimè omnem ſuam diligentiam intermiſſurum. Et cùm Aſpeitiæ inter pauperes in Xenodochio degeret, veniſſetque Fratris eius vxor, nobiliſſima Matrona, eumque poſitis humi genibus precaretur, vt dignaretur Domum ſuam venire, & menſæ ipſius accumbere; Vir Sanctus, humilitatis & Paupertatis amore temperato, aliquid de ſuo illo remiſit rigore, cum illâ & fratre pranſus eſt, domi eius etiam decubuit: ſed poſtridie ſummo mane ad ſuam reuerſus eſt Paupertatem.

Atque hac ratione etiam prudentiæ omnium virtutum modo, modus eſt adhibendus, & oportet iuxta Apoſtolum *h ſapere ad ſobrietatem.* Illud denique prætereundum

h *Rom.* 12. *v.* 3.

dum non eſt; ſi quid aliorum audito conſilio fuerit decretum, nequaquam ab eo recedendum, niſi conſultatione denuo cum illis inſtitutâ, vel ſaltem ipſis de causâ mutationis monitis. Ita & Inconſtantiæ nota, & offenſionis occaſio declinabitur.

SECTIO QVARTA.

Vitia quæ per exceſſum Prudentiæ repugnant.

VItia de quibus egimus: Præcipitatio, Inconſideratio, Negligentia, & Inconſtantia à Prudentiæ rectitudine per defectum recedunt: ſunt alia, quibus delinquitur per exceſſum, de quibus agunt Theologi; quæ quidem curſim attingi operæ eſt pretium. Ita in Templis, quamuis rarò, pingimus tamen Satanam, ad horrorem & deteſtationem.

Agmen inter illa ducit Aſtutia ab ἄϛυ, hoc eſt Ciuitate dicta quod in populoſis maximè dominetur Vrbibus. Eſtque ratio agendi modo quodam occulto, qui communiter non eſt cognitus.

Per illam homo aſtutus callido artificio finem prauum ſibi propoſitum ita aſſequitur, vt ſimplicioribus imponat. Apoſtolus

lus vocat πανȣργίαν quod omnes adhibeat artes induſtriaſque, ad ſuum obtinendum ſcopum.

Duo autem ſunt veluti inſtrumenta Aſtutiæ, quibus illa ad ſuum vtitur finem; Dolus, & Fraus: Dolus fit potiſſimum verbis, vnde Pſaltes linguam vocat doloſam. Fraus verò opere; vt cùm menſura minor eſt iuſto; pecunia adulterina. Dolum coloribus ſuis depinxit Gregorius *a* cùm dixit; *eius eſſe cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere: quæ vera ſunt, falſa demonſtrare.*

Ab Aſtutia, eiuſque peſſimis aſſeclis alieniſſimum eſſe oportet Superiorem, atque columbinam illam à Domino laudatam ſimplicitatem, ab eo coli quàm maximè. Vt enim taceam quod timidæ abiectęque mentis ſit, talibus vti artibus; innumerabiles in ſcopulos impinget, quiſquis gubernator eas vſurpabit. Nullam erga talem Præſidem fiduciam inferiores animo concipient; etiam iuranti non credent; omnia ſuſpicionibus, auerſionibus, odijs denique plena erunt. Quis enim ei, à quo ſe ſemel deceptum meminerit, fidem adhibebit? Quis res ſuas, animumque com-

a *Lib.* 10. *Moral. c.*16.

committet, ei de cuius fide, & ſinceritate dubitat? quis eum amabit vt Patrem, quem paterno agere animo non experietur?

Prudentia carnis ab Apoſtolo damnata, vitium quoque eſt, quod veram Prudentiæ rectitudinem excedit. Per illud homines profani rationes nôrunt inuenire ad inanes honores, dignitates, corporis voluptates ſibi comparandas.

Peccat quoque contra Prudentiæ leges nimia ſollicitudo, eaque duplicis generis. Prima eſt ea quę in pecuniâ, opibus, alijſque bonis externis conquirendis nimiùm occupatur, quam S. Thomas *b* vocat ſollicitudinem temporalium; quâ abſorbetur humana mens ita, vt ea quæ ad virtutis ſanctitatiſque conferunt profectum, negligat, aut ſaltem reponat in ſecundis. Temperandæ eiuſmodi curæ, atque Hieronymi vox audienda: *c Labor exercendus eſt, ſollicitudo tollenda.*

Altera eſt ſollicitudo futurorum, quâ quis de neceſſarijs ad victum, corporiſque ſuſtentationem in futura tempora, menſes, & annos nimis eſt anxius: Vetitam illam à Domino *d* nouimus, cuius verba ſunt:

b 2. 2. q. 55. c *In illud Matt. nolite ſolliciti eſſe.* d *Matt. 6. 34.*

ſunt: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum: craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi.* Non prohibet autem Dominus temporalium, futurorumque curam moderatam, ſed anxiam, vt vox græca indicat. *e*

Sollicitudinum illarum fontem obturabit, quiſquis in Deo fiduciam animo ingenti defiget, vt ſuo dictum eſt loco.

CAPVT SEXTVM.

De Iuſtitia Legali.

IVſtitia alteram rationalis animæ partem, voluntatem perficit; ſicut intellectum, vt diximus, Prudentia. Et quidem in ordine ad alterum; quod eximium quiddam eſſe agnouit Ariſtoteles, *a* qui *optimus*, inquit, *eſt*, *non qui ad ſeipſum, ſed qui ad alium vtitur ipſâ virtute; hoc enim eſt opus difficile*. Et eius dignitate motus M. Tullius *b* à Iuſtitia præcipue viros bonos nominari dixit. Quapropter illâ præ cæteris ei, qui regit, neceſſaria eſt virtus, & in Principe illam Philoſophus magno-

c μὴ μεριμνήσητε. a *Lib.* 5. *Ethic. c.* 1.
b *Lib.* 1. *de officijs.*

magnopere requirit *c* eumque vocat *Cuſtodem Iuſti* Iuſtitiam vero Anſelmus vocauit Rectitudinem : *d* Iam ſi quis alius, Rector certè Rectitudinem aſſecutus ſit, oportet, quæ boni regiminis eſt anima, & ſine quâ ſubditi per virtutis viam rectà nunquam poterunt duci.

Iuſtitiam primâ fronte Philoſophus, *e* & S. Thomas *f* partiuntur in generalem, & particularem. Generalem vocant alio nomine Legalem. Particularis verò alia commutatiua, alia diſtributiua dicta eſt. Et commutatiua quidem (quæ partem Reipublicæ ad partem, ſiue Ciuem ad Ciuem rectè diſponit) non eſt propria Principis, ſeu eius qui Rempublicam regit, ſed illi cum ſubiectis eſt communis. De Legali igitur quę ad eum pertinet, hoc Capite, de Diſtributiua agendum ſequenti.

Et quidem ſi Philoſophi mentem attendamus, Iuſtitia Legalis in Ciue virtutes omnes, quibus paretur legibus ob Reipublicæ bonum, complectitur. In Principe verò dicitur eadem, virtutum omnium complexio, pro vt illum inclinat, vt leges quæ de virtutibus præcepta continent, à ſubiectis ſeruari curet, in quo ſalus verti-

tur

c *Cap.* 5. d *Lib. de Veritate c.* 13. e *Lib.* 5. *Ethic. c.* 1. f 2.2. *q.* 38. *a.* 5. 6.7.

tur Reipublicæ. Atque ea cauſa eſt cur Ariſtoteles Iuſtitiam illam in Principe Architectonicè reperiri dixerit; in ciue vero vt in eo qui manu operatur. Quia Principis eſt iubere, curare, ac prouidere, vt Leges ſeruentur, ſubiectorum illas præcisè exequi.

Iuſtitiæ verò illius tam in Ciue quàm in Principe, admirabilem eſſe ſplendorem Philoſophus *g* aſſerit, neque Heſperi aſpectu ita homines affici, atque illius virtutis fulgore, de qua etiam Theognidis verſum intelligit.

Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes: eamdem verò maximè in eo qui regit, ſe prodere; vndè laudat dictum Biantis, *Magiſtratus virum oſtendit*. Viri igitur & Ciues iuſti Philoſopho dicuntur, qui Legibus Reipublicæ parent, virtuteſque ijs pręſcriptas accuratè exercent. At Principes ac Magiſtratus iuſti, non modò qui leges Reipublicæ ſuæ ſeruant, verùm etiam efficiunt, vt á Ciuibus ſuis, ijs obtemperetur.

Quæ quidem profanæ Philoſophiæ doctrina in ſacris quoque Rebuſpublicis locum inuênit, quæ ſuis quæque legibus inſtitutæ ſunt. Atque vt illæ ſeruentur, eorum

g *Cap.* 1. *cit.*

rum qui alijs præſunt, curæ, ſummopere incumbit.

Sectio Prima.

Chriſtus Legum fuit obſeruantiſſimus.

CHriſtum Iuſtitiæ omnes expleuiſſe numeros dubitari non poteſt; quem conſtat ſolem iuſtitiæ & dictum, & verè fuiſſe: & ab eo omnes iuſtitiæ radios dimanare. Itaque tametſi Conditor ipſe eſſet legum omnium, neque ijs adſtringeretur, illis tamen exactiſſimè per omnem vitam ſuam; tum paruit ipſe, tum à ſuis eaſdem voluit ſeruari.

Atque vt nihil dicamus de ijs, quibus in pueritiâ ſuâ voluit obtemperare, legibus Circumciſionis, Purificationis, Oblationis in Templo, & ſimilibus: poſtquam collectis Diſcipulis, & Apoſtolorum inſtructo Collegio, Euangelium prædicare cœpit, leges à Moyſe Dei auctoritate conditas, eo tempore necdum abrogatas, religioſè non ſeruauit modò ipſe, ſed & Apoſtolos, Diſcipulos, alioſque ad idem præſtandum verbo & exemplo ſuo incitauit. Lege Moyſis *h* jubebantur Iudæi ter quot

h *Exod.* 23. *Deut.* 16.

annis in Templo Hieroſolymitano ſe ſiſtere, vt ibi Dominum adorarent, Sacrificia offerrent, aliaque curarent: Feſtis nimirum Paſchatis, Pentecoſtes, ac Scenopegiæ: *i* teſtantur Euangeliſtæ Dominum Hieroſolymam feſtis illis ſolitum aſcendere, Apoſtolorum & Diſcipulorum ſtipatum Comitatu.

Ita præceperat Moyſes, *k* vt quot annis Menſe Martio Hieroſolymis Agnum Azymoſq; panes comederent Iudæi, ad recolendam è ſeruitute Ægyptiacâ liberationem. Huic Legi parere Dominum ſolitum teſtati ſunt Diſcipuli, quando primâ die azymorum petierunt *l* tanquam de re ſolemni & conſuetâ: *Vbi vis paremus tibi Paſcha?* Equidem non tantum illi, ſed & Diſcipulis id paratum fuiſſe clarè indicauit, cùm dixit Dominus: *apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis.*

Erant etiam eâdem lege præſcripta certis diebus ieiunia, quæ Dominus cum ſuis obibat. Quocirca erudiuit eos, quo modo illa explerent ſine oſtentationis vanitate: *Cùm ieiunatis*, inquit, *m nolite fieri, ſicut Hypocritæ, triſtes*; non iudicauit tamen

illos

i *Io. 2. v. 13. & c. 5. v. 1.* k *Exod. 12.* l *Matt. 26. v. 17. Mar. 14. v. 14. Luc. 22. v. 11.* m *Matt. 6. v. 16.*

illos frequentioribus, & à lege non præſcriptis; tanquam tyrones eo tempore, ieiunijs onerandos: vnde illa Diſcipulorum Ioannis querimonia: n *Quare nos & Phariſæi, ieiunamus frequenter, Diſcipuli autem tui non ieiunant*? Nimirum tam frequenter & vltra Legis præſcriptum, ſicut nos. Ex illorum certè numero erat is, qui in Templo gloriabatur: *Ieiuno bis in Sabbato.*

Similiter poſtquam Dominus de monte deſcendit, & occurrentem leproſum ſolo attactu ſuo mundauit; iuſſit illum ſe ſiſtere Sacerdoti; vt nimirum Legi Moyſis ſe conformaret, quæ ritum in Leproſorum curatione ſeruandum præſcripſit. *o* Hoc ipſum decem alijs leproſis verbo à ſe mundatis Dominus iniunxis? *ite*, inquiens, *p oſtendite vos ſacerdotibus.*

Atque his, alijſque operibus ſuis quæ Euangeliſtæ paſſim narrant, docuit Dominus, exactam eius, quæ tunc vim obtinebat, legis obſeruationem. Verùm ipſe, qui, vt loquitur Chryſoſtomus, erat *legiſlatio ſpiritus*, ſiue ſupremus Eccleſiæ Legiſlator, ad quam condendam venerat, alias ſtatuit leges, nimirum Fidei, Charitatis, veræque ſanctitatis; quibus legem natura-

 lem,

n *Matt.* 9. *v.* 14. o *Leuit.* 14. *v.* 1. p *Luc.* 17. *v.* 14.

lem, & Decalogi præcepta compleuit, & perfecit. Sanxit præterea leges in myſteriorum Diuinorum ſeruandas administratione, aliaſque quas Apoſtolis ſuis non ſemel commendauit, idque ſubinde verbis ſuauiſſimis; q *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Sed id potiſſimum poſt glorioſam ſuam Reſurrectionem; atque demum cùm in cælum abiturus hoc vltimum iniunxit, r *Docete eos* (omnes nempe mortales) *ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.*

SECTIO SECVNDA.

Quam exactè Leges à ſe conditas S. Ignatius voluerit ſeruari.

PRima S. Ignatij & ſociorum eius cura fuit, vt Leges & Conſtitutiones, quibus dirigeretur Societas, conſcriberentur. Hoc in prima formulâ ſeu Regulâ Paulo III. Pontifici Max. oblatâ, vt facere eius auctoritate liceret, poſtulârunt. Hoc deinde confirmatâ ab eodem Chriſti Vicario Societate, & ipſo Ignatio Præpoſito Generali ab ijs electo, fieri quam primùm voluerunt.

Decennio toto, & vltrà illis ſcribendis S. Pater

q *Io.* 14. *v.* 15. r *Matt.* 28. *v. vlt.*

S. Pater incubuit; idque egit, non ſolius humanæ Prudentiæ, ſed diuinæ potiſſimum, vt alibi dictum eſt, Sapientiæ lumine. Quàm enim ſublimes illo tempore illuſtrationes, reuelationes, Spiritus Sancti notiones, & impulſus ſenſerit, ex eius Commentariolo deprehenſum eſt.

Cùm autem in ijs condendis illud fixo mentis intuitu ſpectârit aſſiduè, vt ad finem, quem propoſuerat, maiorem Dei gloriam, per propriam alienamque procurandam ſalutem tota illa machina, aptiſſimâ quadam harmoniâ aptaretur; *a* Tum illud etiam ſummoperè curæ habuit, vt vniuerſo terrarum Orbi leges illæ conuenirent, neque vlli hominum generi aut regioni ſeruatu eſſent difficiles. Neque enim tam fuit ſollicitus, vt in Societate præclaræ exſtarent leges, quam vt accuratè ſeruarentur.

Poſtquam igitur Conſtitutiones tot, vt diximus, annis elaborâſſet, eaſque cum primis, alijſque Patribus grauioribus communicâſſet, anno demum M. D. LIII. miſit illas ad omnes Societatis Prouincias, & per Hieronymum Natalem ad hoc miſſum publicauit. Iuſſit autem eas vbique exactiſſimè ſeruari, atque vt ipſe loquitur. *b. Nihil*

a *Orland. l.* 10. *n.* 48. b *P.* 6. *c.* 1. *§.* 1.

perfectionis in abſoluta omnium obſeruatione prætermitti.

Hoc enim & ſentiebat, & nonnunquam dicebat, non poſſe Societatem, aut vllam ſubſiſtere Religionem ſine legum, Regularumque integrâ obſeruatione.

Quapropter cum plures in Hiſpaniâ ad Collegia conſtituenda ſeſe offerrent Ciuitates, neque tamen is ad manum eſſet Sociorum numerus, qui tot incolendis ſufficeret locis, maluit ea reijcere, quam à pauculis ſingula perſonis inhabitari. *c* Quod in tam exiguo hominum numero, Conſtitutiones ſeruari arduum videretur. Vnde & diſciplinam religioſam labaſcere, & Ciuitates fructu, quem à Societate expectant, priuari contingeret. Neque enim ab hominibus lege omni ſolutis, rei communi operam vllam vtilem præſtari poſſe ſentiebat.

Iam verò in exigendâ ab ijs, quibus præerat diſciplinâ, Sanctus Pater erat exactiſſimus, atque tranſgreſſiones Regularum, etiam minimas ſeueris nonnunquam caſtigabat pœnis. Angelicam tum mentis, tum corporis caſtimoniam lege quadam ſanxit. *d* Cum è domeſticis quidam adiutoribus, Valetudinarij Præfectus ioco quodam

c *Bartolus l.* 4. *n.*36. d *Id lib.*3.*n.*46.

quodam ſummæ iſtius honeſtatis terminos tranſgreſſus fuiſſet, tametſi vir eſſet, magnâ cæteroquin integritate, charitate, & patientiâ, iuſſit tamen illum S. Pater è veſtigio à Societate dimitti. Et cùm Patrum grauiorum omnium interceſſione, atque etiam de virtute fratris iſtius teſtimonijs, ægrè ſe tandem ab illo decreto paſſus eſſet abduci; hominem tamen Vrbe expulit, atque ad locum mille ducentis milliaribus inde diſtantem ablegauit; ita vt totum illud iter ſine viatico mendicando conficere cogeretur.

Aliâ lege otium malorum omnium originem Domo proſcripſerat. *e* Contigit vt duos treſue rei familiaris adiutores ad ianuam alieno tempore confabulantes è Superiore loco aſpiceret; illico aceruum lapidum in proximo ſitum, iuſſit in ſummam ædium contignationem ab illis transferri. Eoſdem tertio pòſt menſe, cùm iterum ibi otiantes animaduertiſſet, illam ipſam lapidum congeriem, vt in eumdem locum referrent, vnde aſportauerant, imperauit: amicè inſuper monens, nihil eſſe in Dei famulatu perniciosiùs deſidiâ.

Charitatem mutuam, *f* vnionemque animorum inter domeſticos diligentiſſimè

 à Re-

e *Maffeus l.* 3 *c.* 6. f *P.* 3. *c.* 1. *§.* 18.

à Rectoribus conſeruari edixit, neque quicquam quod ei repugnaret, tolerari. Cùm igitur nonnemo quippiam, vnde diſcordia animorumque alienatio enaſci poterat, de alio retuliſſet: de illo mox vir ſanctus de Societate pellendo cum duodecim Patribus deliberationem inſtituit. Decem ex illis cenſebant aliâ ratione reum puniendum, emendandumque potius quam miſſione, ne offenſioni nimirum in Vrbe præberetur occaſio; duo verò ſentiebant omninò dimittendum. Ignatius cui ſolemne erat in Conſultationibus adhærere ſuffragijs maioribus, præter morem ſuum, duorum illorum amplexus eſt ſententiam. Aiebat enim, ſi hominum offenſio metuenda eſt, quo animo illud accipiet Ciuitas, ſi inter nos defenſiones gliſcere intelligat; earumque auctorem patientiâ parum prudenti tolerari?

Scimus quanto ſtudio regulas quaſdam Modeſtiæ conſcripſerit, & quantâ eas diligentiâ voluerit ſeruari. Didicit id experientiâ ſuâ Oliuerius Manaræus notæ vir virtutis ac Prudentiæ, qui quòd oculos non ſatis coërcuiſſet, quindecim menſium pœnam, quam alibi retulimus, ſubiuit.

Rectores denique in Legum, Regularumque

σ *Bart. lib. 3. n. 28.*

rumque tranſgreſſionibus corrigendis, atque etiam pœnâ leuiori caſtigandis, volebat eſſe frequentes, non tam ad delictorum quæ veniâ ſæpe digna eſſe poſſunt, vindictam, quam ad earumdem legum memoriam refricandam, atque ad perpetuum diſciplinæ vigorem conſeruandum. Atque vniuerſim, eos quos gubernaculis admouebat, in illam Legum exactam cuſtodiam volebat incumbere, quippe à quâ ſciret conſeruationem ſalutemque Societatis omnem dependêre.

Ita inſtitutum fuiſſe Bartholomæum Buſtamantium, Boëticæ dum viueret Sanctus Ignatius, Prouincialem, narrat Orlandinus. *h* Huius, inquit, curæ omnes eò conferebantur, vt Regulatum & Conſtitutionum vel puncta & apices ſeruarentur. Sat ipſas cum diuinâ gratiâ ad perfectionem adipiſcendam affirmabat habere virium, nec præterea quærendum quicquam. Sicubi in Hiſpaniâ diſciplina laxior videretur, inde eſſe quod neutiquam tantâ quantâ oportebat curâ ad Legum pręſcriptum omnis vita componeretur. Atque hic eſt ille Buſtamantius, quem B. Franciſcus Borgia teſtabatur, quàm præſtantiſſimè muneris ſui partes explere.

h *Orland. lib.* 16. *n.* 51.

SECTIO TERTIA.

Superioris eſt Leges exactè, & prudenter ſeruandas curare.

HAbemus igitur iſtis probatum exemplis, quod Leges non modò ab ijs qui alijs præſunt, ſint ſeruandæ, verùm etiam quòd eiſdem incumbat cura, vt ab alijs ſeruentur accuratè. Et quidem omnes Ordinum Religioſorum Conditores, Legibus, Reguliſque ſuas temperârunt Reſpublicas, eaſque ſeruari exactiſſimè iuſſerunt; quod ab ijs illorum conſeruationem pendere animo ſibi perſuaderent.

Itaque rectè quidam in Republ. Religiosâ idem eſſe dixit Conſtitutiones & Regulas, quod in corpore humano ſunt oſſa & nerui. Et Plato *a* Ciuitatem fulciri Legibus, ſicut fulcris domos: Ariſtoteles verò *b* ſalutem totius Ciuitatis in Legibus eſſe collocatam pronunciauit.

Non modò diuinæ ergo, ſacræque Sapientiæ, ſed & profanæ Philoſophiæ Oraculo, Superior eò iubetur curas ſuas omnes conuertere, vt Leges, Conſtitutiones, ac Regulæ Reipublicæ, cui præeſt, accuratè ſeruen-

a *Dial. 7. de Legibus.* b 1. *Rhet. c.* 21.

ſeruentur. Et cùm aliæ alijs Regulæ maioris videantur momenti, omnes tamen omninò ſeruandæ. Nulla enim quamuis exigua videatur, à Conditoribus ſine magna conſideratione Deique impulſu conſcripta. Nulla eſt cuius neglectus non inferat corpori religioſo ingens, vel dedecus, vel detrimentum: vti veſtem magni pretij minima quæque fœdat macula, idque hoc magis, quo ſplendidior eſt veſtis. Corporis humani fabricam magna æquè, ac parua componunt oſſa, & ſi vel minimum oſſiculum exſtrahas, aut etiam alio ſitu colloces, non leue motui, actionibuſque eius inferes nocumentum. Quoties vidimus à paruis initijs dum eis non fuit proſpectum, magna exorta damna; à ſcintilla incendium; à ſtillicidio ruinam; ab exiguo vulnere mortem? Similiter neglectam leuem Legis cuiuſpiam tranſgreſſionem magno cauſam malo præbuiſſe: & quod verbo primùm poterat emendari, poſtea igne ferroque fuiſſe expiandum.

Sapienter in Epiſtolâ ſua monuit aliquando Claudius Aquauiua, *bb* Vir inter Propoſitos Generales Magnus; nullum ab homine Societatis delictum admitti,

bb *Epiſt.* 4. *de medijs conſeru. Societ. n.*1.

mitti, quod non ex alicuius neglectu Regulę ducat originem.

Quamuis verò omnes Leges, Regulæque obſeruandæ ſint, non pari tamen omnes zelo ſiue rigore. Et Dominus in veteri lege *c* aliter lepram, aliter maculam aliquam expiari iuſſit. Prudentiæ vtique etiam hic æquè ac alijs in rebus humanis locus eſt. Stolidus ſit, qui non maiori curâ & labore vulneri capitis, quam extremi digiti medicinam adhibeat. Legum nonnullæ ipſam ſubſtantiam, vitamque ordinis conſtituunt; aliæ propius illam attingunt, aliæ remotiùs. Omnes ſeruandæ, ſed illæ tranſgreſſiones, quę cor parteſque vitales petunt, maiori vtique fortitudine vel impediendę ſunt vel vindicandæ. Et quid hac de re ſentiat S. Bonauentura Ordinis Seraphici Generalis, ſuprà attigimus.

Itaque pro tranſgreſſione quarumdam legum graues decernendæ pœnæ: pro alijs interdum leues, interdum nullæ: verbo nonnunquam, aliquando oculis, nutuque delinquentes corrigendi. Eſt etiam cum Superior delictum ſe ſcire, debet diſſimulare, & eſſe ſicut Propheta dicit. *d Ego tacens, & quaſi non videns* Hic enim locum habet illud: *qui neſcit diſſimulare, neſcit*

c *Leuit.* 13. *d* *Iſaiæ* 57.

ſcit regnare. De quo hæc exſtat Bernardi Sententia. e *Cenſura quidem nunquam remiſſa, intermiſſa tamen plerumque plus proficit.* Neque enim opportuna illa diſſimulatio, ſiue intermiſſio, curam vigilantiamque extinguit, ſed tempus opportunum expectat, iuxta Poëtæ dictum f

Temporibus Medicina valet; data tempore proſunt:
Et data non apto tempore vina nocent.

Atque hoc quoque à Gregorio Magno inuenio notatum. g *Nonnulla*, inquit, *diſſimulanda ſunt: ſed quia diſſimulantur, indicanda: nonnulla autem ſunt leuiter arguenda, cùm non malitiâ, ſed ſolâ ignorantiâ, vel infirmitate delinquitur. Nonnulla autem ſunt vehementer increpanda.*

Plurimum denique legum omnium obſeruationem promouebit, ſi inferiores perſuaſum ſibi habeant, & Superiorem accuratè ſeruare leges, & velle quoque vt eædem ab omnibus ſeruentur. Præſertim ſi is ſit Superior, qui non modo Patrem in omnibus, ſed etiam Matrem amore, curâ & beneficentiâ religioſa ſe exhibeat. Matrem, inquam, quod à Superiore exigi, iam ſæpius inculcauimus. Nam quid ſibi voluit, quod

e *Epiſt.* 25. f *Ouid.* g *Paſt. p.* 2. *c.* 10.

quod Iſaias dixit, *h Ieruſalem mamillâ Regum lactandam.*

Quænam illæ Regum, Rectorumque mamillæ? niſi materna illorum præcordia, amor, benefacta, quæ diſciplinæ non repugnant? Diſcamus hoc etiam à magnis huius mundi Principibus. Sereniſſimam Iſabellam Belgarum Principem Auguſtam, Caroli V. Cæſaris è filio Neptem, regioque Gallorum ſanguine natam, ferunt cùm ſuos ablegaret ſubinde Miniſtros, vt cum populo ſibi ſubiecto negotia peragerent, hoc inter omnia primo illis commendâſſe, vt ne violentè, ſed blanditijs illum ad ea quæ ipſa poſtulabat, inducerent; *con blandouras*, vti loquebatur.

SECTIO QVARTA.

Qua ratione Legum rigor interdum temperandus ſit.

NAm contra Iuſtitiam Legalem, quemadmodum contra alias virtutes morales, non modò per defectum, cùm leges nimirum negliguntur, ſed etiam per exceſſum peccari poteſt; ſi videlicet Superior nimium vult eſſe iuſtus, earumque obſeruationem

h *Iſai.* 60. *v.* 16.

uationem aſperius, aut nimio exigit rigore. Tales enim reperiri homines Sapientis eſt ſenſus, cuius hoc eſt conſilium, *a Noli eſſe iuſtus multum* ſiue vt interpretantur, *nimium.* Et illos Ariſtoteles, *b* Græco nomine eleganter vocauit ἀκριβοδικαίους, hoc eſt exactius iuſtos

Iſtis primò ἀκριβοδικαίοις ſeu nimis exactè iuſtis, annumerari poſſunt ij qui anxiè legum verbis inhærent, & rationem voluntatemque Legiſlatorum quæ Legum eſt anima, non attendunt. Quod Iuſtinianus damnauit, *c* qui, *non dubium eſt*, inquit, *in Legem committere, eum qui verba legis amplexus, contra Legiſlatoris nititur voluntatem.* Cuius ſententię rationem dilucidè habemus explicatam à Doctore Angelico, *d* qui Philoſophi menti inhærens, ita ratiocinatur: *Humani actus de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt: ideo non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret. Sed Legiſlatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, ſecundum hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus caſibus*

a *Eccleſ.7. v.* 17. b 5. *Eth.*10. c *L. non dubium C. de Legibus.* d 2.2.*q.*120.*a.*1.*in c.*

ſibus ſeruare , eſt contra commune bonum , quod lex intendit. Quod ſi iam illud incidat tempus , in quo ſi id , quod verbis legis præcipitur , exequaris , contra Reipublicæ bonum , aut aliam quampiam virtutem altiorem ſis peccaturus , quod vtique Legum fini repugnat , & Legiſlatorum voluntati ; voluntatem illam , mentemque Legiſlatoris attendas , eique te accommodes oportet ; verbis autem legis nequaquam.

Virtutem porrò illam , quæ ad hoc voluntatem inclinat , vt mentem potius Legiſlatoris , quàm verba Legis ſequatur , Philoſophus vocauit Ἐπιείκειαν e quam Latine aliter interpretari non poſſumus , quam Æquitatem , ſiue lenitatem : eamque dixit eſſe quandam Iuſtitiæ Legalis correctionem. f

Eius Exemplum à Doctoribus adfertur eiuſmodi : Gladium apud te quiſpiam depoſuit, furere deinde incipit, gladium ſuum repetit ; verbis legis iſtius , *ſuum cuique reddendum* , non obtemperabis , ſed Legiſlatoris menti , qui non vult furioſo gladium reſtitui. Id enim & alterius periculo fieret,

e ἐπιεικές, *æquum* ἐπιείκεια *æquitas.*
f ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου.

fieret, charitatique, virtuti altiori repugnaret.

Ad Epijkię verò directionem non vulgarem Philoſophus, *g* & poſt illum S. Thomas Prudentiam requirit; ſed vim quandam virtutemque intellectus eximiam, quam Gnomen vocauit; quæ eſt, vt ipſe explicat, *h* iudicium quoddam rectum de æquo, & bono.

Qua facultate mentis qui carent, ſiue id ex iudicij naturalis tenuitate, ſiue ex anguſtia quâdam ſcrupuloſæ mentis exoriatur; ita ſe legum verbis ſinunt conſtringi, vt ad mentem Legiſlatoris, altioreſque rationes perſpiciendas non aſſurgant. Vitium magnopere Iuſtitiæ Legalis rectitudini aduerſum (in quod, vt Caietanus obſeruauit, *i* Viros etiam doctiſſimos labi contingit, *qui deficientes in naturali ſagacitate, neſciunt vltra Legum verba decernere*) Prælatis certè magnopere euitandum, ni velint, & ſe, & alios ſecum à recto deficere: voluntatem igitur Epijkia quidem perficit, recti tamen intellectus regulâ dirigitur.

Hanc Virtutem etiam Paſtorum Princeps

g 6. *Eth.* c.11. h γνώμη ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς ἐςι κρίσις ὀρθή. i *In* 2.2.q.51. *a*.4.

ceps & omnis rectitudinis fons Chriſtus, ſuo non ſemel exemplo reddidit inſignem; nempe cùm ſæpius Sabbati die languidos curauit, cùm Sabbato Paralyticum iuſſit ſublato palam grabato, per Hieroſolymam incedere, *k* mentem nimirum eius, qui Sabbati legem tulit, attendebat, qui miſericordiæ, beneficentiæque opera eo die noluit eſſe prohibita. Ita Diſcipulos, Sabbato *l* ſpicas ad famem ſedandam colligentes, à criminantium Phariſęorum calumniâ, Dominus abſoluit: Sciebat nimirum Moyſen ius-naturę quod vitam ſeruari iubet, noluiſſe violare; Et Dauidis facto id ipſum confirmauit, *m* qui cum fame vrgeretur, panes propoſitionis, quod alioquin laicis nefas erat, cum ſuis militibus comedere non dubitauit.

Præter Epijkiam etiam alia ſunt remedia quibus Legum rigor mitigetur; Interpretatio nimirum & Diſpenſatio. Sed Interpretatio ſolius eſt Legiſlatoris, quemadmodum Imperator ſanciuit: *inter æquitatem*,inquit, *n Iuſque,interpoſitâ interpretatione, nobis ſolis, & oportet & licet inſpicere.*

Diſpenſatio verò cauſam veram, legitimamque

k *Io.*5. *v.*9. l *Matt.*12. *v.*2. m 1.*Reg.c.*30. *v.*21. n *L.Inter æquitatem C.de Legibus.*

mamque, & in eo qui illam concedit, Iuriſdictionem requirit. Per eam Lex non corrigitur, ſed cùm vniuerſim vim ſuam retineat, ab eius tamen obligatione quiſpiam in particulari caſu eximitur.

Ex quo diſcrimen inter Epijkiam & Diſpenſationem innoteſcit: illa enim non à Prȩlato ſolùm, ſed etiam à priuato quouis adhiberi poteſt, & debet; hæc tantum à Prælato; & quidem ſubiecto volenti & poſtulanti conceditur. Ideo ad voluntariam eam pertinere Iuriſdictionem docent. Vtrique vero commune eſt, quòd non niſi magnâ circumſpectione ijs ſit vtendum, & tunc ſolum iuxta Philoſophi pronunciatum, cum ipſe Legiſlator, ſi adeſſet, aut caſum, de quo agitur, præuidiſſet, ſimilem in modum ſtatuiſſet. Et illud quidem etiam Sancti Ignatij ſapiens fuiſſe iudicium comperio, *o* qui cùm omnibus Præſidibus facultatem diſpenſandi in ſuis Conſtitutionibus, Reguliſque conceſſerit, tum illud ſeruari iuſſit, vt ea facultate tunc ſolum ipſi vterentur, *quando eam fuiſſe mentem illius qui eas condidit, in re aliqua particulari indicarent, iuxta euentus rerum & neceſſitates, maius commune bonum intuendo.*

CAPVT

o *P.* 4. *c.* 10. *lit. B*

CAPVT SEPTIMVM.

De Iuſtitia Diſtributiua.

DE hac etiam pauca; quia eorum qui pręſunt, & Magiſtratum gerunt, propria eſt virtus. Inclinat autem illos ad hoc, vt tam bona communia, quàm onera, ex æquo ſubiectis diſtribuant. Qua in diſtributione Philoſophus *a* æqualitatem exigit, non quidem arithmeticam, vt in Commutatiuâ, ſed Geometricam, ſiue analogiam, hoc eſt proportionem quandam, quam vocant æqualitatem rationis. *b* In qua Analogiâ quatuor requirit terminos, vt ſi ei, qui duabus laborauit horis, pro ſtipendio dentur quatuor, concedenda erunt ſex ei qui tribus. Quæ proportio æqualis eſt, quia vtrobique eſt dupla.

Superioris igitur eſt eiuſmodi ſeruare ęqualitatem. Primo in Beneficijs, Dignitatibus, & Officijs diſtribuendis; Deinde in oneribus imponendis. Tertio ſi perſo-

na

a *Lib.* 5. *Ethic. c.* 3. b ἀναλογία ἰσότης ἐςὶ λόγου.

ria Iudicis aſſumenda ſit, in ſententia pro reo vel actore ferendâ, pœniſque ob delicta decernendis? In quibus omnibus, non modo res, ſed & perſonę merita, vires, delicta attendenda ſunt, atque res pro meritis & dignitate perſonarum, æquali proportione ſunt diſtribuendę. Niſi enim talis ſeruetur proportionum æqualitas, diſſenſiones, rixáſque exiſtere rectè obſeruauit Philoſophus *c* qui *hinc*, inquit, *rixæ & accuſationes, quando æquales inæqualia, vel inæquales æqualia habent, & aſſequuntur.*

Porro quando iſta Analogia, ſiue proportionum æqualitas non ſeruatur, dicitur à Theologis admitti Acceptio perſonarum, fundamento ſumpto à Dei ac Domini præcepto qui olim hoc vetuit. *d Non accipietis cuiuſquam perſonam.* Tum autem delictum illud potiſſimum committitur, cùm non conſiderantur in perſonâ rationes, cauſæque quæ illam dignam aut idoneam muneri quod confertur, reddant, ſed aliæ ad rem non pertinentes. Vt ſi

c *Ibid.* ἐντεῦθεν αἱ μάχαι καὶ ἐγκλήματα, ὅταν ἴσοι μὲν μὴ ἴσα, ἢ μὴ ἴσοι, ἴσα ἔχουσι καὶ νέμονται. d *Deut.* 1.

ſi Prælaturam, Officiumve alicui confe-ras, non quia virtus, ac doctrina eius id meretur, ſed quia propinquus aut amicus eſt: vel ſi diuitem parum munere dignum, præferas pauperi digniori. Quis ferat, inquit Auguſtinus, *e ſi quis diuitem eligat ad ſedem honoris, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore?*

Deum verò Opt. Max. nullis diſtributiuæ Iuſtitiæ legibus teneri fatentur Theologi; liberè enim & gratis ſua omnibus dona largitur, & tamen formam quandam ſeruat Iuſtitiæ Diſtributiuæ, & dignioribus maiora largitur præmia, quàm minus dignis; ſed hoc ex immenſâ ſua bonitate, atque vt Auguſtinus loquitur, *f reddit debita non debens*: atque idcirco merito ab Apoſtolis dictum eſt, in Deo non eſſe Acceptionem perſonarum.

Quam rectitudinem in Chriſto quoque qui nullis Iuſtitiæ tenebatur legibus, conſiderabimus.

SECTIO

e *Ep.* 29. *ad Hieron.* f *Lib.* 1. *Confeſ.c*.4.

Sectio Prima.

Chriſti in Dignitatibus diſtribuendis Rectitudo.

OPere Dominus ſępè demonſtrauit ſe in Dignitatibus, & pręrogatiuis diſtribuendis merita, veramque virtutem, non verò propinquitatem, amicitiamve ſpectare. Nullam igitur Regiminis, aut Iuriſdictionis partem Matri ſanctiſſimę ac dilectiſſimę in Eccleſiam tribuit, atque *vt paternis*, inquit, Ambroſius *g* *ſe miniſterijs amplius, quàm maternis affectibus debere oſtenderet.* Matri etiam Diſcipulos prætulit, atque de ijs dixit: *Ecce Mater mea, & Fratres mei* Eò maiori apud illum quiſque fuit in pretio, quo ardentius Patris cæleſtis ſectatus eſt voluntatem, & obſequium; Quin immo teſte Chryſoſtomo *Matri ipſius nihil profuiſſet Matrem eius eſſe, niſi illi virtus adfuiſſet.*

Hanc Domini rectitudinem filij Zebedæi Ioannes & Iacobus, *h* rudes etiam tum in ſcholâ eius ſanctiſſimâ Diſcipuli, non minore ſuo rubore, quam aliorum indignatione, aliquando didicere. Regnum

g *In c. 12. Matt.* h *Matt. 20. v. 17.*

gnum eius, vt pote Meſſiæ, adeſſe, & ipſum a morte glorioſum audiuerant reſurrecturum. Freti igitur arcto, quo iuncti ipſi erant, ſanguinis nexu, alijſque amicitiæ, quæ illis ſubinde demonſtrauerat, ſignis; Matrem verecundiâ ipſi impediti ſubornârunt, vt prima eis loca à Domino impetraret. Hæc igitur binis ſuis ſtipata filijs, ad Chriſtum: *Dic*, inquit, *vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.*

Vtrumque nimirum latus Chriſti occupare & obſidere moliebantur, ne fortè Petro, vt notat Chryſoſtomus, cuius fortunam ſuſpectam habebant formidabantque; ad primum aditus daretur locum. Ita ſollicita & inquieta eſt ambitio. Verùm ſuauiter quidem, ſed efficaciter reiecti ſunt. *Neſcitis*, inquit Dominus, *quid petatis*; atque ita ambitionis culpam initio benignè, quippe ignorantiæ velatam pallio, excuſat. Tum de calice bibendo & morte potius ſubeundâ ſermonem infert. Ac demum *ſedere ad dexteram vel ſiniſtram meam; non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.*

Hoc eſt, inquit Ambroſius, i *Non eſt meum, qui Iuſtitiam ſeruo, non gratiam, &* *ad*

i *In c.* 20. *Matt.*

ad Patrem referens addidit, quibus paratum eſt. Vt oſtenderet Patrem quoque non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis: quia Deus perſonarum acceptor non eſt. Quam in ſententiam pariter differit Hieronymus. *Non*, inquit, *eſt perſonarum acceptio apud Deum; ſed quicunque talem ſe præbuerit, vt regno cælorum dignus fiat, id accipiet, quod non perſonæ, ſed vitæ paratum eſt.* Didicerunt itaque Diſcipuli, non conſanguinitate, fauore, amicitiâ, ſed meritis, labore, & patientiâ, prima apud Chriſtum loca obtineri poſſe, eaque non in terreno fragilique regno, ſed in æterno.

Eandem mentis Rectitudinem tunc clariſſimè Dominus patefecit, cùm Petrum Eccleſiæ ſuæ ſupremum conſtituit Paſtorem. Pauper is erat, Piſcator, Galilæus, homo operarius, nullâ ipſi ſanguinis propinquitate coniunctus; & huic Ioannes, vterque Iacobus; Iudas Thadæus Domini cognati: Matthæus itidem opulentus quondam, & Bartholomæus, quem nobilioris fuiſſe generis putant, poſthabiti fuerunt; atque Petrus iſte pauper & ignobilis, Chriſti Vicarius, & ſupremus Eccleſiæ, atque omnium Apoſtolorum Princeps eſt conſtitutus. Maior nimirum erat Pe-

tri, quam aliorum Apoſtolorum erga Chriſtum Amor. Tenerius quidem ipſum diligebat Ioannes, & ab illo diligebatur, ſed ardentior erat, robuſtiorque Petri Amor. Neque hoc Dominum latebat, qui, vt ait Auguſtinus, *k ſciebat, quod non ſolum diligeret, verum etiam quod plus omnibus eum diligeret.* Sed vt id conſtaret apud omnes, atque etiam vt innoteſceret cauſa, cur ipſis præferretur: ternâ interrogatione amorem eius omnibus reddidit exploratum, & palàm *confitenti amorem, oues ſuas Dominus commendauit.*

Illam denique mentis Rectitudinem, etiam Scribæ, & Phariſæi in Chriſto, tametſi acerbiſſimi eius hoſtes, agnouerunt, quando per ſuos ad ipſum legatos ita eum allocuti ſunt: *l Magiſter ſcimus quia rectè dicis, & doces, & non accipis perſonam.* Et quidem talem futurum Meſſiam non ignorabant, de quo nouerant à Propheta prædictum; m *non clamabit neque accipiet perſonam.*

SECTIO

k *Serm. de Paſſione Domini.* l *Luc.20. v.21.*
m *Iſai.42. v.2.*

SECTIO SECVNDA.

S. Ignatius ab Acceptione perſonarum remotiſſimus.

RECtitudinem quoque eximiam in ſuo regimine S.Ignatius, poſteris imitandam reliquit.

Primùm in Officijs per vniuerſam Societatem diſtribuendis; in quo amicitia, propinquitas, commodi proprij amor, aut affectus quiſpiam alius, nullam omninò ſibi vendicabat partem.

Id etiam in Societatis exordio patuit, a quando confirmato à Paulo III. Pontifice Max. Inſtituto Societatis, ad Præpoſitum Generalem eligendum Patres conuenere. Petrum Fabrum inter omnes plurimum amabat Ignatius, ob eminentem virtutem, ac doctrinam, atque etiam quia ille primus ipſi adhæſerat, fueratque ſemper ei maximè coniunctus. Illum tamen ſuo non elegit ſuffragio, ſed eum in quem plura, ſe ſolo tamen excluſo, ſuffragia conſpirarent.

Cæterùm cum maximè inuitus, vt diximus, Generalis Præpoſitus eſſet renunciatus,

a *Orland. lib.3. n. 7.*

ciatus, ad aliorum regimen præſtantiſſimum quemque ex omnibus deligebat, ratus in hoc cardine ſalutem verti Societatis. Primam igitur vltimamque hac in prouidentiâ ponebat curam.

Neque verò illum idoneum *b* alijs regendis continuo cenſebat, qui naturæ dotibus exornatus dumtaxat eſſet, prudentiâ nimirum, ingenio, doctrinâ, morum grauitate, ſine quibus vix vlla poteſt conſiſtere gubernatio. Verum ad religioſum aliorum regimen, alias inſuper exigebat perfectiones, virtutes nimirum veras, ſolidaſque, præſertim coniunctionem cum Deo, exactam legum omnium etiam minimarum obſeruationem, animum magnum ad res pro Deo agendas ferendaſque, charitatem, animumque paternum, atque obedientiam promptiſſimam. Si quos tales nanciſceretur, his oculum mentemque adijciebat, atque illos Societatis gubernaculis admouebat.

Et quia diu trutinandi ſunt, qui ad difficilia illa adhibentur officia; ne aliorum damno regendi exercerent tyrocinium; ſolebat ipſemet Vir Sanctus, priuſquam clauum eis committeret, varijs illos exercitare functionibus. Conſultationibus adhibebat,

b *Bart. lib.* 3. *n.* 49.

hibebat, rebus gerendis aſſuefaciebat, negotia faciliora ipſorum curæ & induſtriæ penitus committebat: de magis arduis inſtruebat; rationem eorum quæ egerant, exquirebat; rectè facta laudabat; errata, ſi qua erant, digito monſtrabat; docebat qua ratione euitari illa, quæue cautiones adhiberi deinceps poſſent.

Atque hanc eius in deligendis, formandiſque Rectoribus Sapientiam, probè Sanctus Franciſcus Xauerius habebat perſpectam. Qui vitæ ſuæ finem propius abeſſe proſpiciens, nihil ab illo æquè petijt, quàm inſignem quempiam virum ipſius iudicio delectum, & in ipſius inſtitutum ſcholâ, qui Goano regendo præficeretur Collegio. Exſtat eius Goæ ſcripta ad S. Patrem Epiſtola Anno M. D. LII. in quâ eum rogat, & per Chriſti amorem obſecrat, vt Rectorem illi deſignet Collegio, virum ab ipſo delectum, cui vt doctrina deſit eximia, ſatis ad iſtius loci regimen futurum dicit, totiuſque per Indiam diſperſæ Societatis, quòd ipſius fuerit iudicio delectus, & approbatus: Patres fratreſque noſtros omnes, hoc vnum ab ipſo poſtulare, vt mittat ipſis Moderatorem, qui cum eo diu multumque fuerit.

Cæterùm ſolum boni communis deſiderium,

rium, rectamque rationem, in Officijs, muneribus, pœniſque deſignandis; priuatas verò affectiones, amoreſque apud Ignatium nihil potuiſſe, multis occaſionibus experimentiſque eſt comprobatum.

Omninò chariſſimi ei inter omnes Societatis homines erant nouem illi primi, quos Deus ipſi ad hunc ordinem condendum dederat ſocios, & tamen illos quoque *d* ſi in regimine delinquerent, ita vt eos alijs præeſſe è re communi non videretur, è veſtigio in ordinem redigebat. Nicolao Bobadillæ hoc Neapoli euenit. Erat is Collegij iſtius, vti temporum illorum mos ferebat, Superintendens, adeoque illi præſidebat; Rectoris verò munus Andreas Ouiedus obibat. Verum nequaquam inter illos duos conueniebat. Nam quidquid hic adſtringebat, hoc ille laxabat. Putidum enim Bobadillæ videbatur, ſanctitatem Societatis exiguis quibuſdam legibus alligari, cenſebatque domeſticam diſciplinam non ad minutarum iſtarum legum normam, ſed ad ſolidę virtutis rationem, atque officia dirigendam. Verùm euentus docuit falli Bobadillam vehementer, quippe ex ſolutiore vitæ genere, leuiorumque neglectu legum, fluere mox domeſtica diſcipli-

d *Orland. lib.* 12. *n.* 23.

diſciplina, atque etiam nonnulli de Societate dilabi: quocirca S. Ignatij ſententiâ idem Bobadilla fuit damnatus, iuſſuſque liberum integrumque Ouiedo relinquere munus. Quod & fecit, & feliciore ſucceſſu per Neapolitani regni vicos, pagoſque excurrit.

Simile quid Simoni Rodericio accidit; *e* Luſitanæ is Prouinciæ erat Præpoſitus, vir moribus, & integris & ſanctis: verùm ſuaptè naturâ lenis, & æquo indulgentior, domeſticos regebat remiſſius, neque laborabat admodum vt accuratam illam quam conſtabat Ignatium tenere, Societatis regendæ viam, & ipſe conſectaretur. Hinc factum, vt in cœtu numeroſo (cùm facilè centum & quadraginta in Collegio Conimbricenſi degerent) & parum ad ſanctitatis normam adhuc inſtitutâ iuuentute, vitia errataque non pauca liberius ſuccreſcerent: obedientia paulatim ſolui, curari corpora ſtudioſiùs, frigere perfectionis ſtudia cœpere: adeo vt non deeſſent, qui ſcommata iacere, mordaceſque condere verſus auderent. Alia quoque non pauca quæ Hiſtorici narrant, ex nimiâ illa indulgentiâ mala naſcebantur. Simon nihilominus pleriſque omnibus carus erat

e *Ibid. n.* 54.

in paucis; bonis quidem ob eximiam ſuam ſanctitatem, ſolutioribus verò ob lenitatem. At non item probabatur Ignatio, qui tametſi Simonem vt fratrem, & condendæ Societatis non poſtremum adiutorem, Sociumq́ue diligeret impensè; mox tamen literis ſerijs & efficacibus ad varios ſcriptis, illum à Prouinciæ regimine amouit, clauumq́ue Iacobo Mironi tradere iuſſit, ſimul ei poteſtatem fecit, vel in Braſiliam, quod is ſæpè ante poſtulauerat, nauigandi; vel ad Prouinciam Taraconenſem tranſeundi. Voluntatem Sancti Patris Simon, tum quidem propensè viſus eſt amplecti: verùm cùm poſtmodum etiam Romam ab eodem euocatus, à ſuâ Luſitaniâ longiùs abeſſe cogeretur, inuenit Satanas aditum ad virum cæteroquin ſanctum, vti ſuprà attigimus, grauiter perturbandum.

Ita S. Pater amicitiam omnem bono Societatis poſtponebat: quam animi Rectitudinem, tum quoque patefaciebat, cùm quiſpiam, etiam ex chariſſimis illi, forte aliquid reprehenſione dignum admiſiſſet.

Iacobum Laynium Deo reuelante ſibi in Officio Generalis ſucceſſurum cognouerat, *f* dicebatque ſubinde, nulli ſe mortalium

f *Orland. l.* 12.*n.*22.

talium plus quàm ipſi debere, ob operam quam in Societate condendâ nauauerat: grauiter tamen illum, vt diximus, reprehendit, cùm Italiæ Prouincialis aliquid contra ſummam illam, quam Vir Sanctus in ſuis requirebat, iudicij ſubmiſſionem deliquit.

Chari in primis eidem erant Sancto Patri Ribadeneira, Olauius, Ludouicus Gonſaluius; g illis tamen quod duos Ethiopiæ Epiſcopos diſcedentes comitati, ſerius Domum reuertiſſent, ieiunij pœnam impoſuit.

Gonſaluum verò Domus Miniſtrum præ cęteris acerbiſſimè obiurgauit, parumque abeſſe dixit, quin eum à ſe tam procul ablegaret, vt faciem ipſius amplius videret nunquam. Quâ quidem pœnâ, nullâ poterat homini eum pluſquam Patrem amanti, eſſe acerbior. Et quamuis illam ipſi non inflixerit, eodem tamen momento (& erat altera noctis hora) ipſum è Domo ad Collegium iuſſit faceſſere, neque illum niſi poſt aliquot dies inde reuocauit.

g *Bart. l. 3. n. 46.*

Sectio Tertia.

Duplex aſſertur Acceptio perſonarum ſed altera propriè dicta grauior.

NOn modo Iuſtitiæ Acceptionem perſonarum repugnare, verum ex allatis diſcimus exemplis, quandam etiam reperiri Acceptionem perſonarum, quę Charitati ſit contraria. Ea enim amplitudo exigitur Charitatis; vt ab eius beneuolentiâ beneficentiâque, nemo ſiue Iudæus, ſiue Gręcus, ſiue Scytha, ſiue Romanus excludatur.

Quam cordis Charitatiſque latitudinem pręclarè exemplo ſuo Apoſtoli nobis ſpectandam exhibuerunt. *a* Petrus primùm, cuius hęc exſtant ad Cornelium Centurionem Gentilem, eiuſque Cognatos verba: *Vos ſcitis quomodò abominatum ſit Viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam*; & tamen vicit congenitum alienigenarum odium, ad Centurionem illum alioſque acceſſit, cum ijs comedit, bibit, & familiariter conuerſatus eſt; oſtium latiſſimum aperuit, quo ad fidem Gentes omnes intrare poſſent. Quin etiam

a *Act. c.* 10. *v.* 28.

etiam earum apud Iudæos idcirco offenſos cauſam egit: *b in veritate*, inquit, *comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum, & operatur Iuſtitiam, acceptus eſt ei.*

Eadem fuit mens Pauli, *c* apud quem nulla erat *Diſtinctio Iudæi, & Græci; quia idem Dominus omnium, diues in omnes*, & qui de ſeipſo aſſerebat, *d Græcis, & Barbaris, Sapientibus & inſipientibus, debitor ſum.*

Ordinem nihilominus charitas & ęquam quandam diſtributionem requirit. Neque omnibus beneficentia, miſericordia, obſeruantia ęqualis Arithmeticè, ſed iuxta Analogiam, ſiue Geometricam æqualitatem eſt exhibenda.

Itaque etiam ex Charitatis lege æqualibus ęqualia, inęqualibus inęqualia præſtanda ſunt. Nam ſicut in Communitate ob inordinatum vnius pre alio amorem, inuidiæ, ſuſpiciones, obtrectationes, murmura, aliaque ſexcenta naſcuntur mala; ita multò magis ſi æqualibus inæqualia, vel contra inæqualibus æqualia præſtentur beneficia, non murmura ſolùm, ſed & boni ordinis perturbatio, & minus virtutum ſtudium,

b *Ib. v.* 4. c *Rom. c.* 10.*v.*12. d *Rom. c.*1. *v.* 14.

ſtudium, & laborum pro publico fuga conſequetur. Rectè Baſilius, e *Licet æqualis, & ſimilis charitas aduerſus omnes tenenda ſit, vnicuique tamen pro cuiuſque decoro honos habeatur.*

Quò ſpectat id quod ab Apoſtolo dictum cognouimus, f *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrinâ.*

Quod vti de honore deferendo, ita & de aliis Miſericordiæ, beneficentiæque operibus intelligendum, & vt Gregorius docet; g *ſollicitè perpendendum ne commiſſa indignè diſtribuantur, ne quædam, quibus nulla; ne nulla, quibus quædam; ne multa quibus pauca; ne pauca præbeantur quibus multa debent impendi.* Et hoc ipſum à primis Chriſtianis, & Apoſtolis diſcimus, qui non ex æquo omnibus omnia diſtribuebant, h *ſed diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Quę inæqualitas non erat vtique Acceptio perſonarum, ſed rectè ordinata, prudenſque charitas. Ita S. Benedictus in Regulâ ſua i plus infirmis quàm valentibus præſtari præcepit. *Et non dicimus*, inquit, *vt perſonarum* (quod abſit) *acceptio ſit, ſed infirmitatum conſidera-*

e *Serm. 2. de Inſtit. Mon.* f 1. *Timot.* 5. *v.* 27. g *Paſt. p.* 3. *c.* 21. h *Act.* 2. *v* 45. i *C* 34.

ſideratio. De qua ordinata beneficentiâ infirmis, ſenioribus, peregrinis, laborantibus præſtandâ alibi dictum eſt. *k*

At Acceptio perſonarum propriè dicta, quæ Iuſtitiæ diſtributiuæ opponitur, & in Prælaturis, officijſque publicis diſtribuendis committitur, grauioris eſt momenti & reatus. Illud enim meminiſſe oportet, eos quibus competit Ius officia illa, quibus annexa eſt animarum cura, conferendi, vel idoneos ad talia eligendi, peccati lethalis noxam incurrere, non modo ſi indignum promoueant, verùm etiam ſi digniori abſolutè, minus dignum præponant. Eiuſmodi Officia ſunt non modo Epiſcopatus, Paſtoratus, & ſimilia, ſed Regularia quoque, Abbatia, Prioratus, Rectoratus, & multo magis Prouincialatus, Generalatus. Atque hæc eſt doctrina non modo à multis Theologis, verùm & Canoniſtis & Iuriſconſultis recepta. *l*

Et ratio manifeſta illi ſuffragatur. Quia ſalus corporis cuiuſque politici à capite dependet, & à capite minus idoneo maximum Communitati damnum infertur. Tot verò in Prælato quouis requiruntur natu-

ræ,

k *P.* 1. *Cap.* 5. *Sect.* 3. l *Leſſius de Iuſtit. l.* 2. *c.* 34. *dub.* 14.

ræ, gratiæque dotes, vt præſtantiſſimus quiſque, & qui primas conſecutus creditur, experiatur ſibi non pauca ad bene regendum deeſſe; quanto plura deerunt ei, quem in ſecundis conſiſtere conſtabit? Vnde conſequitur eum qui habet ad manum digniorem, minùs tamen notabiliter digno animas tradit regendas, graue damnum ſiue Eccleſiæ, ſiue Ordini Religioſo inferre.

Præclarè Patres Concilij Tridentini: m *Totius familiæ Domini ſtatus, & Ordo nutabit, ſi quod requiritur in Corpore, non inueniatur in capite.* Et paulò pòſt diſertè pronunciant, *eos, quorum eſt Paſtores Eccleſiæ præficere, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint; non quidem precibus, & humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.*

Quamuis verò potiſſimum ibi Concilium agat de Epiſcopis, id ipſum tamen ad quoſuis alios Monaſteriorum, vel Ordinum Regularium Prælatos, extendendum Cardinales declarârunt.

Et is quoque Doctorum eſt ſenſus, & rationes allatæ id ipſum euincunt: nam, &

m *Seſſ.* 24. *c.* 1. *de Reform.*

& tales plerumque Epiſcopalem habent Iuriſdictionem.

Illum denique Miniſtrorum Eccleſiæ & Prælatorum delectum, ſeuero diuini iudicij examini reſeruari, didicit quondam Sanctus Leo Pontifex Max. qui cùm per plures dies, vt narrat Sophronius, *n* ad S. Petri ſepulchrum à Deo peccatorum ſuorum veniam petijſſet; Apoſtolus ipſi conſpicuus, reſpondit: *Oraui pro te, & dimiſſa ſunt tibi peccata tua, præterquam impoſitio manuum. Hoc ſolum abs te requiretur, ſiue benè, ſiue fortaſſe malè egeris.*

Atque hæc pauca de Iuſtitiâ Diſtributiua.

De Vindicatiuâ, quæ etiam Superiorum eſt propria, nihil opus eſt adijcere, quando finis eius per charitatis Officium, nimirum per correctionem, vti oſtendimus, obtineri poteſt. Et Prælato quidem, præſertim Religioſo, conuenientius longè eſt à Charitate quàm à Iuſtitiâ moueri ad punienda delicta. Hæc enim bonum commune dumtaxat intuetur; at Charitas hoc ipſum ita reſpicit, vt etiam particularem delinquentis ſubiecti ſalutem attendat. Patrem igitur in puniendo Superior ſe potius, quam Iudicem præſtare conetur: exemplo Chriſti Opt. Max. qui, vt Ambroſius dixit.

o Carne

n *Prato ſpirit. c.* 149.

o *Carne ſuſceptá maluit in hunc mundum Redemptor venire, quam Iudex.* Et Bernardus. *Quid tu times ô Homo, quid trepidas à facie Domini, quia venit? venit non iudicare, ſed ſaluare terram.*

Atque vti ab illo principium duximus, ita in eodem qui eſt Alpha, & Omega p finiamus. Ipſi *ſit* q *Benedictio, & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Ad maiorem eiuſdem Dei ac Domini noſtri IESV-CHRISTI gloriam.

o *De Obed. Theodoſij. Bernard. Serm.* 1. *de Natiu.* p *Apoc.* 1. *v.* 8. q *Apoc.* 7. *v.* 12.

MONITA ET EXEMPLA GVBERNANDI.

Series Capitvm et Sectionvm.

Præfatio.

PARS PRIMA.

De Charitate & Virtutibus ei annexis.

CAPVT PRIMVM.

PRima Superioris virtus, Amor Dei ardens. Pag. 1.
Sectio I. *Patrem ſuum cœleſtem Chriſtus amore dilexit ardenti.* p. 3.
Sectio II. *Sancti Ignatij inſignis in Chriſtum ac Deum Amor.* p. 7.

Sectio

Sectio III. *Exemplis allatis Ratio, ac SS. Patrum dicta factaque ſuffragantur. p. 22.*

CAPVT SECVNDVM.

Qua ratione Amor Dei, exerceri augerique poſſit. p. 26.

Sectio I. *Chriſtus Oratione aſſiduâ Patris ſui amorem exercuit.* p. 27.

Sectio II. *S. Ignatius Oratione Amorem Diuinum in ſe accendit.* p. 31.

Sectio III. *Cur Oratio ad Amorem Diuinum acquirendum iuuet.* p. 40.

CAPVT TERTIVM.

Summo Charitatis amore ſuos Superior proſequatur. p. 44.

Sectio I. *Quantopere Chriſtus ſuos dilexerit.* p. 44.

Sectio II. *S. Ignatij Amor ingens erga ſuos.* p. 50.

Sectio III. *Ratio, SS. Apoſtolorum & Patrum auctoritate confirmata, hoc ipſum docet.* p. 58.

CAPVT QVARTVM.

Pro animabus ſibi commiſſis Superior Deum oret. p. 66.

Sectio I. *Sæpe Chriſtus, & ardenter pro ſuis Patrem orauit.* p. 67.

Sectio II. *Quanto ardore & fructu pro ſuis orauerit S. Ignatius.* p. 72.

SECTIO III. *Quomodo, & quibus de cauſis pro ſubditis orandum.* p.80.
CAPVT QVINTVM.
Superior ſit erga ſuos beneficus. p. 84.
SECTIO I. *Chriſtus paternè ſuorum Diſcipulorum neceſſitatibus proſpexit.* p. 85.
SECTIO II. *Eximia S. Ignatij in ſuos Beneficentia.* p. 90.
SECTIO III. *Beneficentia erga quos maximè ſit exercenda.* p. 97.
CAPVT SEXTVM.
Charitatem potiſſimum in perficiendis ſubiectorum animis, verbo & exemplo exerceri. p. 113.
SECTIO I. *Chriſtus Diſcipulos ſuos virtutem docuit verbo, & exemplo.* p. 114.
SECTIO II. *Quibus induſtrijs, exempliſque S. Ignatius ſuos ad virtutem euexerit.* p. 121.
SECTIO III. *Superior ſuos verbo & exemplo Virtutem docere tenetur.* p. 133.
CAPVT SEPTIMVM.
Qualis in vitiorum Correctione Zelus à Superiore ſit adhibendus. p.144.
SECTIO I. *Quali in Correctione Zelo vſus ſit Chriſtus.* p. 147.
SECTIO II. *Qualis fuerit S. Ignatij in ſuorum vitijs corrigendis Zelus.* p. 159.
SECTIO III. *Difficile, ſed tamen neceſſarium*

Zeli & Lenitatis temperamentum. p.175.

SECTIO IV. *An Ira omnis à Correctione exulare debeat.* p.187.

CAPVT OCTAVVM.

Superiori magnâ in Dei auxilio Fiduciâ opus eſſe. p.198.

SECTIO I. *Diſcipulos ſuos Chriſtus ad Fiduciam illam identidem excitauit.* p.199.

SECTIO II. *S.Ignatij in Deï bonitate Fiducia.* p.208.

SECTIO III. *Quantâ in Deum Fiduciâ, & quibus temporibus Superior niti debeat.* p. 221.

SECTIO IV. *Qualis in rei familiaris adminiſtratione, cura ſit adhibenda.* p.233.

PARS SECVNDA.

De Prudentiâ & Iuſtitiâ.

CAPVT PRIMVM.

De Prudentiâ, eiuſque ſpeciebus, & partibus. p. 242.

CAPVT SECVNDVM.

De Conſultatione primo Prudentiæ officio. p. 244.

SECTIO I. *Chriſtus ipſe conſultare eſt dignatus.* p.245.

SECTIO II. *Modus deliberandi quem vſurpauit & docuit S. Ignatius.* p.248.

SECTIO III. *Homini neceſſarium eſſe con-*

ſilium.

ſilium, & à quibus petendum. p. 256.

CAPVT TERTIVM.

De Iudicio, ſiue ſecundo Prudentiæ officio. p. 266.
SECTIO I. *Quæ in Chriſto prudentis iudicij opera emicuerint.* p. 268.
SECTIO II. *S. Ignatij Diſcretio exhibetur.* p. 277.
SECTIO III. *Prudentis Iudicij ratio explicatur, & in quibus potiſſimum locum habeat.* p. 291.

CAPVT QVARTVM.

De Præceptione, eiuſque adminiſtrâ Diligentiâ. p. 305.
SECTIO I. *Quâ Diligentiâ Chriſtus actiones ſuas peregerit.* p. 308.
SECTIO II. *S. Ignatij in rebus agendis Diligentia.* p. 318.
SECTIO III. *Quàm neceſſaria ſit Superiori Diligentia, Cautio, Secreti cuſtodia, &c.* p. 332.

CAPVT QVINTVM.

De Conſtantiâ. p. 338.
SECTIO I. *Chriſti Conſtantia.* p. 339.
SECTIO II. *Strenua S. Ignatij Conſtantia.* p. 343.
SECTIO III. *Quas ob cauſas, & quo modo Conſtantia à Superiore ſeruanda.* p. 350.
SECTIO IV. *Vitia quæ per exceſſum Pruden-*
tiæ

tiæ repugnant. p.355.

CAPVT SEXTVM.

De Iuſtitia Legali. p.358.

SECTIO I. *Chriſtus Legum fuit obſeruantiſſimus.* p.361.

SECTIO II. *Quam exactè Leges à ſe conditas S. Ignatius voluerit ſeruari.* p.364.

SECTIO III. *Superioris eſt Leges exactè & prudenter ſeruandas curare.* p.370.

SECTIO IV. *Qua ratione Legum rigor interdum temperandus ſit.* p.374.

CAPVT SEPTIMVM.

De Iuſtitiâ Diſtributiua. p.380.

SECTIO I. *Chriſti in Dignitatibus diſtribuendis Rectitudo.* p.383.

SECTIO II. *S. Ignatius ab Acceptione perſonarum remotiſſimus.* p.387.

SECTIO III. *Duplex affertur perſonarum Acceptio, ſed altera propriè dicta grauior.* p.394.

FINIS.

FACVLTAS TYPOGRAPHO CONCESSA.

EGo infrà ſcriptus Societatis IESV in Gallobelgicâ Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati conceſſum, quo Typographis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do IGNATIO & NICOLAO DE RACHE, Typographis, vt hæc *Monita & Exempla gubernandi* à me collecta & conſcripta, ad ſex annos proximos imprimere & diſtrahere liberè poſſint. Inſulis 13. Octobris 1658.

HVBERTVS WILTHEMIVS.

Errata.	*Corrige.*
Pag. 13. lin. 15. profuſion —	profuſione
p. 60. l. 4. facie —	facile
p. 65. l. 1. Indiarium —	Indiarum
p. 68. l. 20. mundum —	modum
p. 69. l. 25. aque —	æque
p. 77. l. 8. cumque —	eumque
p. 126 l. 21. induſtritque —	induſtrijſque
p. 131. l. 6. chlamide —	chlamyde
p. 165. l. 1. inflat —	inflati
p. 207. l. 23. nihi —	niſi
Ibid. in fine ὐλιγόπιςε —	ὀλιγόπιςε
p. 229. l. 17. exaudia meos —	exaudiam eos

Cetera & accentus ſubinde omiſſos vel perperam ſignatos, benignitas Lectoris excuſabit.

French

ALEPH 1724577
02-11321

70862.2.em